THEODORE DE BEZE POEMATA JUVENILIA (2730 vers)

Cette édition a pour source le texte des ‘Poemata’ publié en 1580, sans nom d’éditeur, et qui reprend, pour l’essentiel, celui de l’édition originale, parue chez Conrad Balde, en 1548.

# THEODORI BEZAE VEZELII POEMATA.

## I

## EX SYLVARUM LIBRO (470 vers)

### DESCRIPTIO P. DECI PATRIS, QUI SE COS. DEVOVIT PRO LEGIONUM SALUTE, BELLO CUM LATINIS AD VESERIM GESTO : DE QUO LIVIUS LIB.8 AB URBE COND.

S_1

Jam Romana acies verti, jam cedere laevo
coeperat in cornu Virtus Romana, nec ullum
subsidium est, retroque omnis spes lapsa referri,
quum geminas Decius tendens ad sidera palmas,
"Quo ruitis ? Dixit, quo virtus prisca recessit ?
Unde fuga haec ? Unde iste timor ? Vos cedere notis

hostibus, et toties victis dare terga Latinis ?
At moveat jurata fides, sanctique Senatus
imperium, moveantque foci, moveantque penates."
Dixerat. Interea premit undique fervidus hostis :
deserta fugiunt trepidi statione Quirites.
Ille autem intrepidus, quos Consul sistere voce
"Non potui, dixit, revocabo morte : sacrati
me dudum hoc Vates monuere, jecurque recisum.
Ergo age sacrorum o custos, concepta profare
carmina, Romanis Consul sit victima, nostro
sanguine quaeratur victoria, sanguine nostro
placentur saevi Manes, placetur Erinnys."
Mox igitur praetextam armis imponere jussus,
velatusque caput, mentoque innixus, et imis
subjecto pedibus telo, imperterritus heros
his se devovit verbis praefante ministro :
"Jane, et tu custos Capitoli Jupiter, audi,
et gemini Romae auctores, Mavorsque, Quirineque,
et reliqua in nostris notissima numina fastis.
Vos etiam, o Manes, Decium haec audite precantem :
siqua premit patriam invidia, et nunc vincere Romam
crimina siqua vetant, tandem deponite, quaeso,
invidiam, o Divi, Decius luat omnia solus.
Servetur patria incolumis, pulsoque Latino,
sublimes ducant Romani ex hoste triumphos.
Interea, collega, aciem, patriamque tuere :
indubiam ipse fero mortemque fugamque Latinis.
Desierat, faciem lux protinus occupat ingens,
qualis post noctis tenebras quum Tethyde Phoebus
deserta illustrat splendenti lumine terras,
talis hic insiliens in equum sublimis, habenas
laxat, et in medios volat imperterritus hostes.
Illum fulgentemque armis, cinctuque Gabino
ipse admiratur Veseris, miratur et ipse
Juppiter, et laevum tonat. Audito omine laeti
prospiciunt Romani omnes, oculisque sequuntur.
Atque hominem esse negant Decium. Jam terga Latinus
vertit, et adventu unius mutata repente
sors omnis, redeunt acies, animisque receptis
instant victori victi, tandemque feroces
Romanus pellit, Decio moriente, Latinos.

## MORS CICERONIS,
### EX LIB. HISTORIARUM LIVII C.XX. ET VITIS PLUTARCHI, ET VALER. MAX.

S_2

Ergo ut ventorum rabiem, pelagique furorem
indomitum aspexit, fatis heu poscitur, inquit,
poscitur infelix Cicero : "Convertite vela,
et me vicinae moriturum reddite ripae.
Scilicet has grates gladiis erepta tuorum
patria persolves ? Moriar, sic numina divum,
sic voluere dei, servata ut Consul in urbe
Tullius intereat." Nec plura effatus, ab imo
corde trahens gemitus memoratae ad nomina Romae,

imbre oculos, lacrimisque genas implevit obortis.
At licet assiduis exercita turba periclis,
inviti lachrimas nautae tenuere, diuque
obnixi saevos pelagi transcendere fluctus,
omnia laxarunt iratis carbasa ventis,
et tandem incolumem statuerunt litore proram.
Descendit maestus Cicero, multoque labore
membra trahit confecta senex. Simul undique magna
circumstabat herum servorum turba, periclis
nec nimium stupefacta suis, nec tempore duro
pollicitam fractura fidem : pars apparat enses,
pars domino assistit, caecaque ambage viarum
lecticae impositum ducunt, si fallere saevos
Antoni possint gladios. Turbaeque sequentis
evitare minas. Sic ibat Tullius ille,
Tullius ille togae princeps, magnique Senatus,
quum procul adventare viros, inimicaque signa
conspicit, et stricto mortem procul ense minantem
Poppilium, cujus quondam servaverat ipse
fortunas vitamque rei, quum libera Roma
olim illum audiret, mirareturque tonantem.
Jam quoque saevus adest ; et poscit Herennius hostem.
"Quid faciat ? Num forte manus protendat inermes,
aut mercede petat veniam ? Num flectere verbis
defensi quondam conetur militis iras ?"
Haec aetas virtusque vetant, et pectore in alto
fixus amor patriae, Romaeque cadentis imago.
"Vertite, ait, currus, plenis curratur habenis
immeritam in mortem : me pridem nuntia Phoebi
poscit avis, caeloque novum conjungere civem
Juppiter exoptat. Bruti Cassique beatae
vivite vos animae. Quod si non omnia nobis
fata nocent, forsan nec nos moriemur inulti.
Jam vixi mihi Roma satis, me vita vereri
acta vetat nigrae damnosa oblivia mortis.
Occidite, at noscent venturi cuncta nepotes,
aeternamque dabunt morienti haec funera vitam.
Immo (aut fallor ego, et frustra tibi Roma creatus
augur eram quondam) non semper amica favebit
Antoni Fortuna tibi, civesque peremptos
tempus erit victrix a te quo Roma reposcat.
Me juvet interea speratum invisere caelum."
Desierat. Jugulumque parans, immota tenebat
ora senex. Illum properantem in fata nec ipsi
aspiciunt equites laeti, positoque furore,
ut nudum videre caput, canamque senectam,
vix tandem inviti lacrimas tenuere cadentes,
et paene e manibus gladii cecidere cruentis.
Unus torva gerens truculentus Herennius ora,
degeneres "Quid statis ?" ait. Simul ense superbo
colla secat, nec adhuc satiatur caede : scelestum
adjunxisse scelus sceleri juvat. Ergo disertis
ausas Antoni vitam signare tabellis
caedit et ipse manus. Morientem vidit ab alto
invitus caelo Phoebus, piceaque refertur
nube caput texisse diu. Flevere cadentem

et flebunt Latiae aeternum Graiaeque Camenae.
Flexanimis vero Pitho (mirabile dictu)
sueta illi quondan tum res tum verba loquenti
suggerere, et suavi conspergere nectare linguam,
ut patuit jugulus, fugiente aufugit amico,
et terras, eheu numquam reditura, reliquit.
Poppilius volat interea, truncoque relicto,
Antoni portat saevis spectacula mensis.

## NATALIA DOMINI.

S_3 Noctem alius laudet, misero quae munus amanti
optatum attulerit, facilemque ad vota puellam
praebuerit, veteris fecunda incendia flammae.
Ceteraque obscaenis olim cantata poetis.
At vos pars equidem caeli non infima vates,
nec divinum animum ad turpes convertite curas,
nec calamos adeo infami exercete labore.
Intactas Helicona ferunt habitare puellas,
inque alias ardens Musis est castus Apollo.
Innupta est Pallas : vestris quae numina sacris
sola placent. Procul ergo Venus, procul esse scelesti
deliciae pueri. Castis tu casta Camenis
materies, o Nox, esto, quae Virginis olim
vidisti in sacros aperiri viscera partus,
viscera quae caeli tempestatumque potentem
gestavere deum, tandemque illaesa dedere
humanis cernendum oculis : tu conscia partus
prima novi, tu nascentis primordia lucis
luce prior nox vidisti. Te caeca vetustas
ah nimis immerito caecamque atramque vocibat,
illius primos solis quae senseris ortus,
ipse accepta refert clarus cui lumina Titan,
et quaecumque micant splendenti sidera caelo.
Tu teneri primos vagitus prima puelli,
tu primos caeli plausus, tu gaudia mundi
audisti Nox o felix, quum laeta volantum
ad domini cunas resonarent agmina fratrum,
et Domino totus nascenti applauderet orbis.
Tu vili impositum feno, stabuloque jacentem
es mirata simul, simul es miserata puellum ;
tu quoque pastorum pietatem, et nescia fraudis
pectora mirata es, quum Tityrus inde relictis
accurrens gregibus, Christi natalia laetus
viseret, hinc caderet Damoetas, surgeret Aegon,
dum caeli monitis et clara voce Deorum
attoniti, properant nascentem invisere regem.
Quid castae matris curas, immixtaque curis
gaudia commemorem ? Dum tanto pignore caeli
consortem agnoscit sese, natumque tuetur
ante pedes, nasci quem vixdum senserat ipsa
parturiens pariensque simul, virgoque parensque.
At vos interea spatiosa per atria reges,
aut medios inter lusus, turpique luparum

immixti turbae, infelix traducitis aevum,
aut laturo efflatis pigros e pectore somnos
progenies indigna polo, quibus ipse recusat
committi Dominus nascens, et natus abhorret.
Felices tenebrae, quantumvis clara diei
lux collata quibus, non lux, sed opaca videtur
nox potius. Nam certa diem sua tempora claudunt,
et vicibus certis Phoebus surgitque caditque.
Est quoque cum ingratae vicinus ab orbe sororis
sic premitur, nigra ut tectus ferrugine vultum
quod reliquis praebet, lumenque jubarque requirat.
At vobis tenebrae qui praebet lumina Titan
Phosphorus ipse sibi est, et non finitur horizon.
Sed cur postremo Patres te mense locarunt,
o nox, cui primae acceptam referre salutem
et decet et fas est ? Cur non haec inchoat annum
nox, quae felicis spem nobis reddidit aevi ?
Scilicet exactos quae nox finire labores
spondet, et aeternae promittit munera pacis
jure etiam exactum finire haec debuit annum.
Adde quod hoc primum redituri tempore Phoebi
spem capimus, ductore Capro. Jure ergo revectos
uno mense duos olim memorare Vetustas
instituit soles : jure, o Nox fausta, piorum
religione Patrum, toto vigilaris in orbe,
applausuque sonas, sed non tamen orgia qualem
edere consuerant, ebrio quum sacra Lyaeo
insanae facerent matres, atque aera sonarent,
semiviri quondam ad Cybeles altaria Galli ;
sed qualem decet esse virum, queis pectore in alto
mens habitat, caeli patrium quae spirat amorem.
Ipse equidem tibi sacra feram , Nox sacra, quotannis,
solemnesque preces addam o nox optima, nostris
materies nimium felix inventa Camenis.

PREFATIO POETICA IN DAVIDICOS PSALMOS, QUOS POENITENTIALES VOCANT.

S_4

Forte pererratis caelo, terraque marique,
ales amor sacrae Judaeae callidus urbes
visebat, pharetraque minax, flammataque gestans
tela manu ; jamque hospitium, sedemque petebat
venturae nocti, dumque acres undique versat
saepe oculos, dubitatque etiam qua sede moretur,
tandem ad Bersabes convertit lumina formam,
et mox tam raras mortali in corpore dotes
miratus, viridesque oculos, frontemque patentem,
purpureasque genas, pulchri et discrimina nasi,
os roseum, et flavos per eburnea colla capillos,
marmoreumque sinum, porrectaque brachia longe,
et teretes digitos : haec dum notat omnia, fertur
attonitus tacita secum sic voce loquutus :
"Quid vos caelorum formam, celeresque rotatus,
sidereosque ignes adeo, matrisque Diones
laudatis, Superi, vultus ? Quum barbara caeli

luminibus Virgo officiat ; me ludere in istis
fas oculis ; juvet hinc acres vibrare sagittas :
haec est digna deo sedes. Procul ergo pharetrae
esse graves : sint arma procul. Namque ista ministrant
lumina tela mihi, lunataque porrigit arcum
umbra supercilii. Hinc regum Mavortia corda,
fallor ego, aut infans olim vicisse Cupido
credar, haec varias spargetur fama per urbes."
Dixerat : et subito pharetraque arcuque relictis,
aerium sumit corpus (mirabile dictu)
corporeis tam rarum oculis, ut cernere nemo
mortalis possit, quantumvis cernat acute.
Sic indutus amor formosam hinc inde puellam
observat tacitus furtim, tandemque repertis
sese oculis infert, claroque in lumine condit.
Illa deum sensit venientem, et laeta recepto
hospite, nil praeter veneris jam cogitat artes :
omnibus arridet pulchrae sibi conscia formae ;
nunc sinit impexos extrema in fronte capillos
ludere, nunc varia discriminat arte vagantes ;
jam celare sinum simulat, mammasque coercet,
et super objectat tenuis velamina telae.
Jam cunctas ostentat opes, colloque superba
nudato, pulchra mentitur imagine divam.
Interdum excultis illi qui stabat in hortis
marmoreo insignis labro, se fontis in unda
nuda lavat, celeresque oculis jaculatur amores.
Hanc igitur casu, vitreo quum fonte lavaret,
Judaeis David qui tum regnabat in oris
aspexit, vir nec cuiquam pietate secundus,
nec quoquam inferior vates, seu fundere dulce
ore melos, digitis seu tangere plectra juvaret.
Quid non audet amor ? Regis doctique piique
protinus excusso violavit lumina telo.
At pavidus tanto caligat lumine David,
ecce irrumpit amor dominus, sparsisque veneno
sensibus, humenti jam calfacit ossa calore,
et victor tandem infligit sub pectore vulnus ;
mens quoque victa labat, flammisque oppressa fatiscit.
Ipse sui oblitus caecas sub pectore flammas
David alit, nec jam studiis incumbit honestis,
nec sibi jam quaerit sese quibns artibus ipse
asserat : hoc unum noctuque diuque labore
sollicitus volvit magno, qua callidus arte
efficiat, forma ut tandem potiatur amata.
Quid faciat ? Blandis adjungit munera dictis.
Paret Bersabe, tantoque auctore peracta
culpa placet ; favet incoeptis Fortuna nefandis.
Nec mora longa fuit. Tumido mox addita ventri
sarcina. Sed nondum David sua gaudia credit
plena satis : res ipsa placet, crimenque probatur,
at metuit famam, dicique recusat adulter.
Adde onus ignaro conceptum conjuge. Quippe
forte aberat longe Urias, et tempore in illo
pro patriae afflictae rebus, (populique) salute
tractabat gladios miles ; revocatur in urbem

principis imperio. Paret, castrisque relictis
justus adest. Illum nec formosissima conjux,
nec nati traxere domum, sed principis aulam
ingreditur properans ; simulato plurima vultu
inquirit David : "Quam tandem exercitus urbem
obsideat, quibus inclusus sit moenibus hostis,
eventu quonam pugnatum." Singula pandit
ille, nec infelix novit quam dira parentur.
Quippe, licet mensa exceptu, vinoque madentem,
conjugis ut sprevisse toros, aulaque manere
assiduum vidit David, jam censet apertum
omne scelus, jam facta palam sua crimina credit.
Vis igitur sed tecta placet, capitique parantur
conjugis insidiae. Tam magnum est numen amoris.
Scilicet ignorat leges cum matre Cupido.
Jam nil jura valent, nil magni jussa Tonantis,
expertusque favor Divum : jam victus amore
ipse odit sese. O semper nocitura voluptas,
ut transversa rapis mortalia pectora tecum !
Nox erat, et late carpebant omnia somnos,
at vigil insano fraudes in pectore David
mille parat, calamum tandem poscitque tabellas,
et se de patriae rebus dum scribere multa
versutus simulat, versa in contraria mente
imperat ut pugnae statuatur in ordine primus
Urias, primusque ruat moriturus in hostes.
Ergo ut prima dedit venientis signa diei
Lucifer, Uriam mox in sua castra reverti
rex jubet, inscriptasque duci perferre tabellas.
Laetus at ille volat, nec se sua fata tenere
clausa manu novit : tandemque in fronte locatus,
immeritam infelix petiit per vulnera mortem.
Hac pater omnipotens ex alto singula caelo
cernebat, jam tum iratus, quum cedere foedi
imperio insanum regem spectaret amoris.
Ut vero insontem cecidisse agnovit amicum,
et fuso hostiles gladios tinxisse cruore ;
tum demu infremuit totus, vultuque serenum
iratus posuit ; tremuerunt omnia late,
terribilique procul sonuerunt astra fragore,
protinus exorto compleri murmure caelum
turbato cepit Domino, veniuntque frequentes.
Aligeri fratres, quae tanti causa tumultus
inter se rogitant trepidi, quae litis origo,
quos haec ira notet : num totas fulmine terras.
Perdere forte paret, num caeli extrudere cives,
aut priscum revocare chaos. Quippe affore tempus
audierant, ipsos olim quod verteret orbes
caelorum, et totum flammis misceret Olympum.
Caelorum in medio, qua se super omnia tollit
sublimis moles mundum complexa rotundum,
stat thronus, et gemmis totus conflatus et auro.
Hic Divum residet princeps, hinc singula cernens
temperat aeterno componitque omnia nutu.
Hunc geminae circum dicuntur stare sorores,
Justitia, et placido lenis Clementia vultu.

Altera districto cunctis velut ense minatur,
turbatisque oculis testatur pectoris iras.
Altera blanditurque oculis, similisque precanti
vertere commoti memoratur numinis iras.
Huc igitur postquam convenere undique Divi,
tum pater iratus : "Quaenam haec dementia ? Quaenam
improbitas, inquit, nostrum contemnere numen
mortales audere viros, et pectore ferri
indomito auctorem contra ? Quid plurima fando
commemorem ? Terraeque datas totius habenas ?
Et maris imperium liquidoque volantia caelo ?
Mentem ego divinam tribui, quae libera mortem
despiceret, quae me, quae caeli edisceret orbes.
Hoc cunctis commune bonum. Quid propria natis
commoda nunc referam toties concessa Jacobi ?
Vos meministis enim regis contusa superbi
pectora, vos medio incedentes aequore turmas,
deletasque acies scitis, partosque triumphos ;
scitis ut in terras spreto descendere caelo
ausus ego, ut leges illis et jura tuendae
tradiderim vitae, nostri quoque testis amoris
Phoebus erit, sueto vetitus descendere cursu ;
et scissae Jordanis aquae, sonituque tubarum
captae urbes, pulsique sua dicione Tyranni.
Haec illis igitur tribui. Quid maxima vero
tot bona commemorem Jessaeo praestita vati ?
Illi ego pastori memini tribuisse coronam,
ereptoque pedo sceptrum donasse ferendum,
mox etiam manibus vasti eripuisse gigantis,
quumque graves urgere minas, odiumque Saulis
sensissem, tutum ipse dedi (miseratus egentis)
exilium, et placida florentia regna quiete.
Nunc tamen antiquos mores imitatus avorum,
oblitusque mei, nec caeli spernere leges,
nec crudele scelus sceleri junxisse veretur.
Hinc leges, hinc jura tacent violata sacrati
conjugii, hinc noster non digna morte peremptus
vindictam petit Urias. Nunc ergo superbum
ulciscar regis pectus, populumque ferocem
delebo iratus, nostri monumenta doloris."
Desierat, toto exoritur cum murmur Olympo :
sunt qui dicta probent, scelerumque exposcere poenas
fas, aequumque putant, pars quamvis ultima regem
commeruisse sciant, blandis tamen omnia dictis
emollire parant, justumque arcere furorem.
Praecipue blando lenis Clementia vultu
conqueritur lacrimans : nec enim si plectere dignis
suppliciis homines placeat, jam fulmina posse
sufficere, aut animas deinceps captura nocentes
Tartara, desertum fore mox sine civibus orbem :
frustra igitur toties miseris mortalibus olim
est promissa salus, nec crescere virga sinetur
exspectata piis ? Sua sunt stata tempora poenae,
integra quum mundi peritura est machina flammis.
"Ne, Genitor, ne te crudelem nomine dici
quaeso sinas, tua nota satis sunt numina mundo.

At si poena placet, si res tam saeva probatur,
hoc unum rogito supplex, hoc pectore toto
flagito, fas ut sit sceleris monuisse peracti
Davidem : feret ille preces, tandemque furore
deposito, scelus hoc illi, noxamque remittes."
Vix bene desierat mitis Clementia blandas
ferre preces, quum deposita Pater optimus ira
conceptum penitus dilabi corde calorem
sensit, et haec tandem sedato pectore fatur :
"Ergone nata meis conatibus obvia semper
non sinet irati res tandem ut verba sequatur ?
Sed miseros servare juvat." Sic fatus, abire
imperat aligero divorum ex ordine lectum
caesarie insigni juvenem, cui candida circum
ludebat stola longa pedes, variaeque micabant
distinctae veluti gemmis rutilantibus alae,
qualis ab Eoo vehitur qui psittacus orbe,
aut nubes inter qualis nitet Iris aquosas.
Hunc igitur propere Solymorum invisere terras
imperat Omnipotens, culpaeque monere peractae
Davidem, simul et poenas mortemque minari.
Ille abit, et liquidum variis secat aethera pennis.
Forte et tempus erat, tacito quum victa sopore
cuncta silent, claroque micant nitidissima caelo
sidera, conspecta tunc nuntius arce quievit ;
et mox humanam (dictu mirabile) formam
induitur, vatisque latet sub imagine Nathan
iratis ardens oculis, vultuque minaci
sic medios inter somnos reprehendere crimen
visus, et ingratae scelus exprobrare senectae :
"Tene, ait, o regum rex pessime, tene quietem
ducere, quem ad poenam poscunt pro immanibus ausis
Tartara ? Sic igitur turpem traducere vitam
amplexus medios inter ? Geminone nocentem
crimine, caelorum fas est convexa tueri ?
Qui Divos, qui te, patriamque, tuosque scelestus
prodideris ; nec tu somnum, lectique superbi
delicias linques Divum venturus ad aras ?
Atqui, tempus erit, moneo, cum caede tuorum
ipse oculos pasces, bellique domestica surgent
semina : et incestus, et fratrum vulnera cernes.
Tu modo flecte Deos lacrimis." Sic ille locutus,
protinus in tenues fugiens evanuit auras.
At David monitis, et clara voce Deorum
attonitus, nunc invisos accusat amores,
nunc jussae meminit mortis, crimenque fatetur
conscius. Ergo toro vigil exsilit, et sua pugnis
pectora contundens, sceptrumque, aulamque, coronamque
abjicit, et partes animum convertit in omnes ;
ut Libyae siquis sitientia rura viator
dum petit, in mediis saevam conspexit arenis
tigrida, vel maculis distinctum terga draconem,
horret ad aspectum trepidus, coeptumque relinquit
cautus iter, latebrasque petit tremebundus opacas,
talis erat David. Pulchra quem uxore potitum,
nilque minus caelo metuentem clara Deorum

numina terruerant, et cognita vatis imago,
multa est ante oculos Bersabe, at nulla calores
intus flamma parit : victus cum Matre Cupido,
et pavor in vacuo solus jam pectore regnat.
Quid faciat ? Num vel miserum se ex arce suprema
praecipitet, vel visceribus crudum induat ensem ?
Num veniam exposcat, justasque avertere Divum
conetur lacrimis iras ? Palatia pone
antrum erat horrendum, fracti qua culmina montis
exesas vasta claudebant mole cavernas,
horrebant rubis late omnia, et undique sentes
dumique, tribulique, et Soli ignota vorago.
Haec igitur pavidus sublimi David ab arce
singula spectabat, dubius vitamne, necemne
eligeret, nunc caelum oculis atque astra petebat
attonitus, largo nunc turgida lumina fletu
fixa tenebat humi. Tandem circumspicit antrum,
et mox : "Tu nostri domus, inquit, conscia luctus
tu mihi testis eris justorum sola dolorum ;
sic faveas nostro rubicunda ex crimine Luna,
(forte erat, aut visa est Phoebe rubicundior) at vos
sidera, quae invisos toties vidistis amores,
mutatum spectate virum." Sic fatus, eburnam
suspendit zona citharam, qua suetus ad omnes
mentis erat curas uti, qua saepe sonante
depulerat saevos inimico a rege furores.
Ergo abit, atque sago velatus membra cucullo,
praecipitis tandem evadit super ardua montis
culmina, mox antrum ingreditur, largoque madentes
imbre oculos caelo attollit, tandemque recepta
mente, miser tales tremebundo pectore fletus
orditur, maestas cithara resonante querelas.

# II

## THEODORI BEZAE VEZELII ELEGIAE (660 vers)

### AD LECTOREM. ELEGIA I.

E_1

Tu quem naturae nobis consensus amicum
   fecit, et e simili sidere natus amor
quisquis eris, nisi vel locuples te curia totum

possidet, et rauci sollicitudo fori ;
aut nisi te Hippocratis retinent, pia cura, medelae,
aut totum asservit pagina sacra sibi ;
vel nisi te Pallas studiis melioribus aptum,
et Venerem, et Veneris tangere scripta vetat,
aspice quam misere insano consumar amore,
quam lateat nostro pectore saeva Venus.
Si bene te novi, quum legeris omnia, dices,
non erat hic tali dignus ab igne coqui.
Attamen hoc frustra ; nam talia fata Sorores
nondum etiam nato constituere mihi,
ut quamvis nil ipse habeam quod possit amari,
experiar Veneris tempus in omne faces.
Quodque magis mirum, quum nos potiamur amica,
qua non est flammis dignior ulla meis,
perpetuae tamen exagitant mea pectora curae,
et premit insomnem sollicitudo comes.
Sive graves obscura mihi nox clausit ocellos,
tunc quoque, quum jaceam semisopitus, amo.
Seu vigilo, praeter nostras nil cogito flammas.
Candida luminibus proxima sola meis.
Hei mihi quae nuper nobis insomnia misit
ille puer, quantis lusit imaginibus !
Nec piguit nostrum populo narrare furorem,
et Phoebum in somnos sollicitare meos.
Quippe etiam haec nobis nevere incommoda Parcae :
nequitiae fiam testis ut ipse meae.
Id tamen exemplo liceat fecisse Tibulli :
sic Nemesis flammas, culte Tibulle, canis.
Cynthia saepe tibi sic est cantata, Properti,
sic est Nasoni dicta Corinna suo.
Hi tamen aeternum meruerunt carmine nomen.
Dii faciant, possim post mea fata legi.
Scilicet hoc unum nostros solatur amores,
hoc facit ut placeat, quae mihi flamma nocet.
Sive autem id nobis veniens concesserit aetas ;
seu me quae vulgum fata severa manent,
sic saltem vixisse mihi, te teste, placebit,
exemplo ut fieres cautior ipse meo.
Quippe, aut fallor ego, aut nostros quum legeris ignes,
et mea quum fuerit sors bene nota tibi,
sedulus hoc deinceps, et tota mente cavebis,
ne simili mecum sis ratione miser.
Nostra utinam tibi flamma ferat tot commoda, lector,
quot dedit auctori maxima damna suo.

## IN MEDIOCRITATIS LAUDEM. ELEGIA II.

E_2 Non frustra solita est medium laudare vetustas,
nam nil laudari dignius orbis habet.
In medio posita est virtus, hinc, indeque fallax
tota sinistra via est, totaque dextra via est.
Icare, si patrem esses inter utrumque secutus,
Icarias nullum nomine nosset aquas.

Si medio Phaeton mansisset calle superbus,
non esset saeva terra perusta face.
Nec lenis nimium nec durat saeva potestas :
quae medium servat, sola perennis erit.
Te nimia, o Juli, clementia perdidit olim ;
occidit feritas te, truculente Nero.
Augustus felix cur multos mansit in annos ?
Nec facilis nimium, nec truculentus erat.
Nec nimis ipse coli, nec sperni Juppiter optat,
sed magis una juvat mens moderata deos.
Largus opum nullus, nullus laudatur avarus :
magnus, in his potuit qui tenuisse modum.
Antoni mensas sic vicit cena Catonis,
et tenuem melior fama secuta larem.
Nec gracilis structura nimis, nec crassa probatur :
haec spectatori displicet, illa ruit.
Ut moderata juvant, sic aegris pharmaca multis,
heu nimium multis, saepe petita nocent.
Dicere plura nefas credo, nam laude nequaquam
efferri immodica sustinet ipse modus.

## ELEGIA III.

Cornua bis posuit, bis cepit cornua Phoebe,
nec tamen es tanto tempore visa mihi.
Vivo tamen, si vita potest tibi, Publia, dici,
maerore et lacrimas quae fovet una meas.
Certe dura mihi mors saepe in vota vocatur ;
Mors finem lacrimis impositura meis.
Non aliter queritur ventrem durare Prometheus,
et posito mallet numine posse mori.
Fallor enim, aut quisquis figmenta haec repperit olim,
vulturis est illi nomine dictus amor.
Quae non visa mihi platea est ? Quid in urbe relictum ?
Urbe tamen tota Publia nulla fuit.
Ergo vel miseram cohibent te conjugis irae,
o non tam saevo femina digna viro !
Vel populosa tibi sordere Lutetia coepit,
et placidi ruris dulcior aura placet.
Forsitan in silvis nostros meditaris amores,
et tuto velles omnia ferre loco.
Ibo igitur, nec me quicquam retinebit euntem,
donec sis aliquo sola reperta loco.
Interea manuum serves, collique colorem,
et fieri nigras ne patiare genas.
Tecta incede caput, nam te si cernat Apollo,
ardeat in vultus ustus et ipse tuos.
In silvis lauri vestita est cortice Daphne,
hei mihi, si de te fabula talis erit !
Callisto in silvis summo est compressa Tonanti,
ne rogo, ne placeat Juppiter iste tibi.
Heu ! Quid non timeo ? Latronum hic regna teguntur ;
quisquis es, hinc aufer, prendo cruente, manus ;
Actaeon doceat violati numinis iras ;

Dictynna certe non minor ista Dea est.
Quid loquor ? O nostrae pars maxima, Publia, mentis,
non poterunt aures ista ferire tuas.
O utinam praesens verba observare legentis,
et frontis possem signa notare tuae !
Optima tunc nostro spes addi posset amori,
et possem mecum dicere, lenis erit.
Perveniam certe quacumque moreris in urbe,
sive aliquo potius, Publia, rure lates.
Perveniam, et si non mea per se forma loquatur,
fortunae fiam nuntius ipse meae.
Quod si surda preces ausis contemnere nostras,
nempe meae subito conscia caedis eris.
Attamen hoc media nobis in morte placebit,
quod tu causa meae, Publia, caedis eris.

## ELEGIA IIII.

E_4 Si tibi sinceri nomen bene quadrat amici,
cur mihi quae tota est candida, nigra tibi est ?
Cur quoties caleo dixi, tibi frigus in ore ?
Cur mihi quod gelidus Caucasus, Aetna tibi est ?
At saltem si visa prius tibi nostra fuisset,
si conspecta foret, quam violata, prius,
vel me fallit amor, vel si tibi visa fuisset,
essemus forma captus uterque pari.
Quod si tam pulchris non esses captus ocellis,
at levius poteras tunc tamen este malus.
Perfide, quis nostros umquam accusavit amores ?
Candida quo tandem judice facta rea est ?
Actor es et judex idem : succurrite jura,
laedit Romanum perfidus iste forum.
Parce tamen, verbis uti si cogor acerbis ;
hei mihi, quod sic est imperiosus amor !
Nunc faveo, Lodoice, tibi, nunc urit amica,
et fidei memorem me jubet esse meae.
Utrique est juratus amor dominaeque, tibique,
nunc Cytheraea Venus, dic mihi, cujus ero ?
Cur transversus agor ? Duplici cur uror ab igne ?
Ah, fuerat nobis unica flamma satis.
Rectus amor, Lodoice, tibi me fecit amicum :
nescio cur placeat causa pudica minus.
Scilicet insani merito creduntur amantes ;
quisquis amas, juris non potes esse tui.
Quod tamen est mirum, justa est insania nobis,
et videor demens quum ratione mihi.
Nam mea, si nescis, (sed nescis, arbitror) una est
quam velit ipsa sibi praeposuisse Venus.
Sic caput erectum, sic frons exsurgit aperta ;
sic virides oculos umbra decora tegit.
Sic oculi geminis radiant hinc inde Smaragdis :
quae fero, sunt hujus vulnera prima loci.
Utraque sic pulcher conjungit lumina nasus,
purpureis sic est conspicienda genis.

Sic geminis roseus color emicat undique labris,
   o labris toties labra petita meis !
Hic habitat quae me tandem servabit, opinor,
   nunc in perniciem lingua diserta meam.
Quid caput auratum memorem ? Quid eburnea colla ?
   Binaque quae niveo pectore mala latent ?
Cetera quid referam ? Quae si non omnia novi,
   quis tamen esse suo corpore digna neget ?
Et tamen hanc audes maculare et dicere nigram.
   Desine, habet certe numen et ista suum.
Quae nisi sit precibus nostris lenita, veremur
   ne discas laesae quam gravis ira Deae.
Nunc revoces quae scripta tibi : sit foedere juncto,
   candida quae nobis, candida et illa tibi.
Certe digna meis una es mea Candida flammis :
   dii faciant possim dicere, tota mea es.
Tunc licet insanus tota designer in urbe,
   dum mea sis, nihili nomina vana moror.
At tua qui nigra violarit nomina fama,
   hic hostis nobis, hic inimicus erit.
Illius efficiam, faveat modo notus Apollo,
   crimina deridens vulgus in orbe legat.
Tuque iterum nostrum si laedas forte furorem,
   haud equidem vanas experiere minas.

## ELEGIA V.

E_5 Quisquis amas (aiunt cuncti) fuge corpus amatum,
   vivere si caeco liber ab igne cupis.
Hei mihi, te quoties fugi, mea Candida ? Fugi,
   semper at in nostro pectore regnat amor.
Ecce iterum fateor, fugi te, Candida : verum
   et potui et possum dicere semper, amo.
Sive abeo in silvas, nobis succurrit Adonis,
   et sit tristitiae conscia silva meae ;
sive placent horti, quot florum hic millia cerno,
   tot stimulis captum me premit asper amor :
Narcissum hinc croceum video, hinc flentes Hyacinthos,
   hinc miser ante oculos pulcher Adonis adest
magna quidem nostrae fateor medicamina flammae,
   sed me qui vincit, vincit et ille Deos.
At si prata juvant, o quantas sentio flammas !
   Ardeo tunc flammis totus amoris ego.
Hic videor Cereris fugientem cernere natam,
   hic videor furvi cernere Ditis equos.
Litora si specto, vitreas tunc cogito Nymphas,
   fervidaque in medio numina saepe mari.
Quo magis evado montes sublimis in altos,
   hoc propior Veneris sit puer ille mihi.
Si placeant urbes, vis ut semel omnia dicam ?
   Illic quum videam plurima, nulla placent.
Illius nunc carpo oculos, nunc illius ora,
   haec capite, haec pedibus displicet, illa genis.
Denique materies si desit, crimina fingo,

et quaecumque aliis candida, nigra mihi est.
Quid prodest fugisse igitur, cum Candida praesens,
atque adeo lateri sit comes usque meo ?
Umbrae igitur merito quadret tibi Candida nomen,
tale tamen nomen non decet iste color.
Humanum potius debes deponere nomen,
una simul gemino quae potes esse loco.
Parce, rogo, quaecumque Dea es : subjecit et ipsa
Anchisi sese, res bene nota, Venus.
Ecce fugam fateor, veniam ne, Diva, negato,
saepe mihi veniam Juppiter ipse dedit.
Ipse quidem prima mox ad te luce revertar,
quasque voles poenas, si patiare, feram.

## ELEGIA VI.

E_6 Si te, diva Venus, genuerunt aequora quondam,
si Veneris surdo numina nota mari,
ne me, ne pelago jactatum desere, diva,
en madidus raucis undique vincor aquis.
Quaeris ubi fluctus, ubi sint saeva aequora ? Nusquam.
Sed mare quo vexor, terra dat ipsa mihi.
Me miserum, quamvis liquidis sejunctus ab undis
auferor a ficto naufragus ipse freto !
Hei mihi, quid "ficto" dixi ? Verissima nobis
unda nocet, fictum res habet ista nihil.
Nusquam undas video, circumstant attamen undae,
scilicet in sicco curro, natoque mari.
Ecce iterum, "sicco" cur dixi ? Nempe sepulta
ingenii vis est quantulacumque mei.
Hinc toties cogor mentem mutare priorem,
Musaque dissidiis ingeniosa mea est.
Vos oculi flentes praebetis flumina puppi,
hoc volat infelix flumine vecta ratis.
Nec venti desunt, ventos suspiria praebent :
haec laceram ducunt in sua damna ratem.
Quid tacitas dicam stimulos, caecumque furorem ?
Dant stimuli remos, dat mihi vela furor.
Spes miserae est cymbae clavus, spes optima Divum,
spes medicina malis una reperta meis.
Ancora sunt humili deprompta e pectore verba,
vix tamen iratas haec remorantur aquas.
Firmus amor ratis est malus, sunt dona rudentes,
fune carina regi, munere sueta Venus.
Navis es, o anima insano correpta furore :
te miseram caecus navita ducit Amor,
tempestas scopuli, nempe ira odiumque timentur.
Dii faciant ut sint ira odiumque procul.
Fulmina quae vereor, sunt verba minantia nobis :
ah, procul a nostro sitis amore minae !
Si frons laeta minus, si non, velut ante, serena,
tunc madidis caedit fessa carina Notis.
Saepe igitur ventis currunt mea vela secundis,
saepe mihi forti carbasa pulsa Noto.

Ut tamen est visum litus, portumque subire,
jam paro, conspecti captus amore soli.
Auferor infelix, quamvis multumque diuque
coner in adverso figere vela solo.
Tunc faciem litus mutat, positoque nitore
sidera pallescunt ignibus orba suis.
Clamo tamen : "Liceat saltem mihi cernere ripas,
redde diem misero, Candida, redde diem."
Haec ego dum gemino, referunt mea carbasa venti.
Et ruit in nostrum multa procella caput.
Spirant cuncta minas, crebrum micat aethere fulmen,
mox oculis abeunt litora visa meis.
Quod tamen est mirum, stat recto pondere malus,
et nequeunt saevo cedere vela freto.
Quem tot turbae agitant, hunc, o Cytheraea, negabis
sentire insani cuncta pericla maris ?
Aut igitur totum moveas, Neptune, furorem,
ut bibat insanas obruta puppis aquas ;
aut facias tensis intrem mea litora venis.
Ah, volui velis dicere, parce, Venus.
Parce, Venus, mea culpa levis, si culpa vocari
mutatae debet littera syllabulae.
Si sit culpa tamen, fateor : Venus haec mihi culpa,
haec, inquam, nobis optima culpa placet.

## ELEGIA VII.

E_7
Hei mihi, quae terrent pavidum mala somnia pectus !
Eheu, quae trepido somnia visa mihi !
At tu quisquis amas, nec speres luce quietem,
nec tacitas noctes polliceare tibi.
Vespere colla domum referunt leviora juvenci,
et tacitae requiem commeditantur aves.
Vespere nunc stertit fusca cum conjuge Pastor.
Nunc venerem exercet, laetus et ipse, suam.
Sol quoque potremas postquam pervenit ad undas,
fertur in ardentis Thetidos ire sinus.
At nos perpetuis exercita turba periclis,
quos insana trahit post sua terga Venus,
sive dies praebet magno sua lumina mundo,
nostra latent tenebris pectora caeca suis ;
seu nox nigra sua terras amplectitur umbra,
semper adest noctis sollicitudo comes ;
ingressusque toros, menti se callidus infert,
pulicis exiguo corpore tectus Amor.
Quisquis es exemplum a nobis qui quaeris, habeto,
alterius damno cautus ut esse queas.
Nox erat, et variis vexatus pectora curis,
credideram molli languida membra toro.
Necdum prima quies oculos bene clauserat, ecce
jam parat insidia sanguinolentus Amor.
Agmina cernebam, armatasque instare catervas,
et, nisi fallor ego, vix puto, somnus erat.
Agnovi procul ipse acies, fulgentiaque arma,

denique vera oculis agmina visa meis.
Exspecto trepidus, nec enim fugisse licebat,
audio clamores, verbera saeva, minas.
Aspicio, en mediis mihi Candida cernitur armis,
et laniata genas, et laniata comas.
Talis erat Paridi quondam quum rapta Lacaena est,
Thisbe, te exstincto, Pyrame, talis erat.
Ille comam, ille togam flentis, frustraque rogantis
diripit, ille "mea est", clamat, et ille, "mea est".
Dirigui, ut solus viso praedone viator,
ut stupet aspectis agna relicta lupis.
Quid facerem ? Jubet ira loqui, pietasque, fidesque,
at monet aspecta morte tacere metus.
Ira metum vincit, medios moriturus in hostes
tendo, nec cesso dicere et ipse "mea est".
Illa, ut me aspexit "Miser, ah miser, inquit, abito,
non tua tam misero tempore digna fides.
Ah fuge, sic levius moriar." Nec plura locuta,
voce mihi visa est deficiente mori.
Protinus exclamans, incuso hominesque deosque,
nec cesso vacuas ingeminare minas.
Illi adsunt, strictoque mihi mucrone minantur,
nec miserum cessant figere tela caput.
Tandem igitur cunctis unus congressus inermis,
ipse meae visus proximus esse neci.
Jamque cadens, carae tangebam corpus amicae,
esset ut extremo tempore notus amor.
Ecce abit ex oculis tenues hic somnus in auras,
territus, et vitae vix bene certus eram.
Non aliter saevi siquando dentibus hostis
eripuit pabidam pastor amicus ovem :
illa, licet servata, tamen stupefacta periclo,
vix tandem posito discit abire metu.
Talis eram, sudorque omnes manabat in artus,
sensimus et rigidas undique stare comas.
Talem quisquis amas tibi polliceare quietem ;
talia spectabit somnia, quisquis amat.

## ELEGIA VIII.

E_8 Ut stupet emisso siquis Jovis igne petitus,
ut stupet insanis navita raptus aquis,
sic stupui, postquam dira te febre retentum
in maesto didici corpus habere toro,
quid facerem ? Nec erat nobis ars nota medendi,
nec, si tota foret cognita, tuta satis.
Saepe ego, quum vitae medicus spem redderet aegro,
vidi inter medicas membra labare manus.
Ergo, quod licuit, caelum superosque precatus,
has coepi pavida fundere mente preces :
"Humanae si quem tangit miseratio sortis,
siqua potest hominum tangere cura deos,
quisquis ades superum, justae miserere querelae ;
crede mihi, venia res bene digna tua est.

Non ego divitias posco, Croesive talenta,
   non peto formosae conjugis esse virum :
hoc peto, si qua pii vos cura attingit amoris,
   reddatur Valido pristina vita meo.
Ille est, qui Superum coluit studiosus honores
   nunc jacet in tristi pallidus ille toro.
Quid dixi ? Magnis immo vult saepe querelis,
   quod meruit nullo crimine, posse mori.
Juppiter, et tu olim, non est hoc crimen, amasti :
   si scelus hoc, sceleris sidera plena tui.
Causa tamen nobis melior, quo castior haec est ;
   causa pudicitiae pondere nixa suae.
Quid potuit sceleris Validus patrasse ? Quis illum
   audiit ullius criminis esse reum ?
Decipit ebrietas humanam sordida mentem,
   hinc scelerum nata est prodigiosa cohors.
Ergo ut vitaret Validus tua crimina, Bacche,
   non puduit lymphas praeposuisse tibi.
Captivos hominum ducit Venus improba sensus,
   hinc scelerum nata est prodigiosa cohors.
Fallor ego, aut si qui Validum tetigistis amores,
   una laboranti Pallas amata fuit.
Ergo insontem animam ne saevus tollito, neve
   tela geras tanti sanguine tincta viri.
Ecquid enim prodest rarum tribuisse colorem,
   tam color iste brevi si periturus erat ?
Ingenium infudisse sagax quid profuit illi,
   si vetet ingenio mors inopina frui ?
Quod si certa manet mortis sententia fatis,
   si petit hoc etiam Parca scelesta caput,
hoc facite, o Divi, quae nunc mihi vita superstes,
   ut Valido prosit, prosit et illa mihi.
Non insueta precor, Ledaeos fama gemellos
   dividua inter se vivere morte refert.
Sic nos attoniti superos, Lodoice, precamur,
   Dii votis faciant pondus inesse meis :
Dii faciant mox ut nobis reddamur uterque,
   et posito cantet musa dolore jocos.

## ELEGIA IX.

E_9

At pereat quaecumque meas exstinguere flammas,
   quae te cumque mihi tollere tentat anus.
Improba, laena, procax, moecha, invida, dic age, cur nam
   laedi visa mea est digna puella tibi ?
Vel quod tam castam non possis ferre puellam,
   et tibi tam constans non bene quadret amor.
Vel quum nulla meum turbarent jurgia lectum,
   displicuit placido pax in amore tibi.
Fallor ego, aut virtus potuit tibi neutra probari,
   dissimilemque tibi ferre scelesta nequis.
Sic premitur forti mitis clementia bello,
   sic lupus in placidas it violentus oves.
At vos, qui nostris vicinas jungitis aedes,

sicne decet justa credulitate rapi ?
Scilicet audaces plectit Respublica fures,
criminibus merito poena reperta sua est.
Non tamen indicta plectuntur crimina causa,
hoc Latii prohibent optima jura fori.
Nos vero insontes jam dicimur exsules esse,
quis tamen audivit criminis esse reos ?
Cujus nocturno turbavi somnia cantu ?
Cujus ego inveniar vi petiisse fores ?
Anne ego cujusquam moechus connubia laesi ?
Candida sola mea est, Candida tota mea est.
Nimirum una anus est, quae nos incusat amoris,
o Venus ! An scelus est numen amare tuum ?
Si scelus hoc, caelum fas sit vocitare scelestum,
atque iterum in sanctos bella movere Deos.
Hoc Divi prohibete nefas, moechaeque scelestae
ignea in invisum vertite tela caput.
Tene ego perpetiar misero mihi, Candida, tolli,
aut Veneris dici numen inane feram ?
Nec contra obsistam iratus, magnoque furore
praecipites istos pulverulentus agam ?
Tunc igitur gladios acuam, tunc bella movebo,
tunc invicta dabit vimque, animumque Venus.
Interea peragent vindictae carmina partem,
sic ulta est vates saepe Camena suos.
Ecquis enim Archilochi rapidos non novit Iambos ?
Tu quoque anus nostras experiare minas.
Tisiphone quamvis tecum collata videri
jure oculos possit pascere digna Jovis.
Macra licet tibi sit facies, licet undique turpes,
undique deformet pellis arata genas,
emineat quamvis dens unus et alter ab ore,
sordeat et canis tempus utrumque comis,
te precor insani rabies exedat amoris,
et turpi inclusum pectore vulnus alas.
Digna tibi tamen interea videaris amari,
te tamen immenso nullus in orbe probet.
Sint nigro frustra demissa monilia collo,
frustra oneret macras instita longa nates.
Displiceas merito cunctis, sis fabula vulgo,
nil nisi perversam fama loquatur anum.
Te mater tenerae demonstret saepe puellae,
et jubeat mores saepe cavere tuos.
Atque ita bis centum quum tandem impleveris annos,
tunc cupias frustra pessima moecha mori.
Saeviat in macrum nodosa podagra cadaver,
atque diu infirmis ludat in articulis.
Dira lues passim putres distorqueat artus,
foedus ut absentem prodere possit odor.
Teque notet, velut invisum sis omen, Aruspex,
horreat ad vultus femina, virque tuos.
Nec tamen, haec quisquam medicari vulnera curet,
nec manus auxilium porrigat ulla tibi.
Te potius ridens hinc indeque turba, jacentem
oderit, invisum devoveatque caput.
Atque ita ter centum quum tandem impleveris annos,

cedat ab infami corpore vita procul.
Silva rogum invideat, nec det tibi terra sepulchrum,
funeribus desint ultima vota tuis.
Inferias peragant, vulpesque, canesque, lupique,
et siqua effuso sanguine gaudet avis.
Interea invisos jubeat discedere Manes
Portitor, et Stygias tangere nolit aquas.
At tu deserto studeas in litore maesta
infernum precibus sollicitare Jovem.
Atque ita millenos quum tandem impleveris annos,
sis tandem Furiis addita quarta tribus.
Hoc facite, o Divi, si castae vota puellae,
si possunt casti vota valere viri :
hujus ut exemplo venerari discat amorem,
quae juvenum flammis invida turba nocet.

## ELEGIA X.

E_10

Dic age cur vanae juvat indulgere querelae ?
Cur juvat immites dicere, stulta, deos ?
Nempe doles periisse comam, flavosque capillos
jam subito glabrum destituisse caput.
Desine, stulta, queri : nam quod periisse videtur,
tempora reddiderint non ita longa tibi.
Sic tibi saepe thymus, sic et tondetur anethus,
mox tamen in frondes surgit uterque suas.
Sic quum saepe rosas toto collegeris horto,
purpureas idem cras dabit hortus opes.
Fer modo, et haec quamvis possit jactura videri
magna, feras parvae taedia parva morae.
Nec tamen interea plores periisse capillos :
quam periisse putas, credito, salva coma est.
Quippe hujus radios nuper miratus Apollo,
siderea dignam credidit esse domo.
Scilicet hinc ficto Berenices nomine tecta,
junctaque nocturnis ignibus illa micat.

## ELEGIA XI.

E_11

Ecce iterum Jani nobis rediere calendae.
Hei mihi, quos luctus, funera quanta ferunt !
Roma Tito quondam celebrata est maxima magno,
est quoque Nasonis carmine dicta sui.
Quae te Naso tulit, quae te Tite sustulit orbi,
inter funestos est numeranda dies.
Non adeo infelix quae infames sanguine Cannas
lux videt, et Latio tristia cuncta foro.
Nullum igitur munus nunc exspectetis amici,
munera temporibus sunt minus apta malis.
Fas mihi sit Patrum priscos contemnere ritus,
fas mihi consuetas mittere jure preces.
Cernite nunc tristi ploratur ut undique caelo,

mersaque demisso terra sub imbre natet.
Ecce Venus pullo vestita incedit amictu,
dilaceransque genas, dilaceransque comas.
Et pharetrae oblitus, luctuque immersus acerbo
Nasonis cantat carmina maestus Amor.
Ipse suas Janus damnatque, oditque Calendas,
et sua de fastis tollere festa parat.
Flet quoque Neptunus, flet raucisona Amphitrite
et patrio plorat gurgite mersa Thetis.
Pelignae lacrimis implent rura omnia nymphae,
et querulus Patavi permeat arva Padus.
Tune igitur lacrimas retinebis Roma cadentes,
nec poteris caeli questibus esse comes ?
Hei mihi, quid te olim, demens Auguste, coegit
Nasonis sacrum sic violare caput ?
Julius hoc olim non fecit avunculus, ille
qui dedit Italiae sceptra secunda tibi.
Et te jam merito clementem dicere quisquam,
ingeniumve potest dicere mite tibi ?
Quae numquam Augusti potuit lenire furorem
scivit inhumanos flectere musa Getas.
Namque Tomitanis exsul lugetur in oris,
Nasonique parat barbara turba rogos.
Lugete, o miseri vates, totumque jubete
Parnassum alternos ingeminare sonos.
Flentibus en aderit Phoebus, Pallasque favebit,
et peraget partes numen utrumque suas.
Vos quoque, quos caeli dignissima cura fatigat,
ne, rogo, ne quinta quaerite luce lyram :
illa etenim lumen caelo, terrisque negabit,
laetaque cum caro Tartara vate colet.
At vos, o Manes, quorum nec longa vetustas,
nobile nec delet nomen avara dies.
Vos, inquam, solos Jani gaudere Calendis,
vos, dare laetitiae mutua signa decet.
Quippe Titum vobis lux addidit ista peremptum,
haec quoque Nasonis lux dedit arte frui.
Ergo occurristis Manes venientibus illis,
totaque in amplexus mortua turba ruit.
Ennius inde pater medium complexus utrumque,
"Hic, ait, est Latii gloria tota soli."
Mox Varro, et Cicero properant, tersusque Catullus,
mox quoque cum Nemesi, culte Tibulle, venis.
Et tu qui dubium fecisti nomen Homeri,
cui vitam debent rus, pecus, arma suam.
Quid reges memoren priscos, fortesque quirites,
quoscumque exoriens Roma, vetusque dedit ?
Scilicet ista Titum venerata est undique turba,
Hannibal aspecto surgit et ipse Tito.
Vos, o vos Manes, aeternos ducite lusus,
at nos perpetuo cura dolorque prement.
Has ego quottannis luctu celebrabo Calendas,
et ficto injiciam tura, merumque rogo.
Deinde isti versus tumulo ponentur inani :
"Dii faciant, illos postera turba legat ;
quisquis ades, vacuum Nasonis cerne sepulchrum,

70 quisquis ades magni cerne sepulchra Titi.
71 Orphei quod precibus Plutonia regna dedere,
72 hoc Titus, et magnus Naso dedere sibi."

## ELEGIA XII.

E_12 v.1 Helis quod speculo multumque diuque retenta
2 sacratum Veneri sic remoratur opus,
3 fallor ego, aut justa certe ratione movetur,
4 nec levis est tantae causa reperta morae ;
5 namque nec ornatos componit rite capillos,
6 cui non jussa suo stat coma flava loco,
7 nec Tyrio fucare genas credenda colore,
8 cui medias intra purpura nata genas.
9 Aut igitur creta collum mentitur eburnum,
10 aut labris spargit rubra venena suis ;
11 at collum natura illi concessit eburnum,
12 et minio jussit labra rubere suo.
13 Cur vero tenues oculorum depilet arcus,
14 cur jubeat patula caedere fronte comas,
15 cui geminos talis testudo exornat ocellos,
16 qualis Apellaea linea ducta manu ?
17 Et cui lunatae tam larga est area frontis,
18 ut sit tam patula fronte nec ipsa Venus.
19 Scilicet haec emptis implerit dentibus ora,
20 nativum esse probat cui gelasinus ebur.
21 At vero inflatum pectus, manmasque cadentes
22 et mollem magna colligit arte sinum.
23 O Dii, quam tuta est a tali crimine virgo,
24 cui tumet aequalis semper utrimque sinus !
25 Quid gestus, cultumve loquar, moresque decoros ?
26 Talis erat, malum quum Cytherea tulit.
27 Ergo Helis speculum non sic remorata tuetur :
28 Helis enim speculi non eget arte regi ;
29 ipsa sed in facie dominae crystalla morantur,
30 et raras gaudent cernere delicias.
31 Helida cur ergo absentem sic turba requiris,
32 nec pergis potius dum procul Helis abest ?
33 Quippe absens Helis nullum retinebit euntem :
34 si veniat, cunctos quod remoretur, erit.

# III

## EPITAPHIA (383 vers)

D. P. STELLAE, LL. DOCTORIS CELEBERRIMI.

E_1
Mundus ut assidua gauderet luce, suoque
   vivere Sol posset liber ab officio ;
Lucifer in terras caelo migrare relicto,
   atque hominis faciem sumere jussus erat.
At mox ut Stellae discessu clara Deorum
   perpetua coepit regia nocte premi,
paenituit mandasse Jovem, Stellamque vocavit,
   et Solem antiquas jussit obire vices.

D. IO. VALENTIS,REGI A CONSILIIS.

E_2
Exstincto nuper Respublica maesta Valente,
   visa mihi secum sic gemebunda queri ;
saepe alios flevi, dum sic raperentur, alumnos :
   causa tamen numquam justior ulla fuit.

ADVOCATI CUIUSDAM.

E_3
O rerum varias vices, et ingens
fortunae paradigma saevientis !
Clamosissimus omnium virorum,
qui verborum operam omnibus locabat,
nunc raptus Rhadamantium ad tribunal,
conducit miser, ante quae locabat.

GULIELMI BUDAEI, VIRI NOSTRAE AETATIS DOCTISSIMI,
QUI LUTETIAE OBIIT ANNO M.D.XL. XII I. CAL SEPTEMB.

E_4

Ὅστις Βουδαῖον γλώσσης ὀνομάσατο Φοῖβον
   Ἀμφοτέρης, ὀρθῶς Φοῖβον ἔειπε μάλα.
Οὐκ εἶπεν δ' ἱκανῶς, μείζων γὰρ χ' ἠελίοιο,
   Ὅς θνητοῖσι φάος καὶ καταδὺς παρέχει

EIUSDEM.

E_5 v.1 Unus Budaeus, terramque polosque hominesque
2 devinxit magna providus arte sibi.
3 Caelo animum, terrae corpus donavit habendum ;
4 at cerebri nobis dona superba dedit.
5 Sic decessit inops nam nil sibi liquerat ipse,
6 verum haec paupertas unica vincit opes.

EIUSDEM

E_6 v.1 Budaeum flevere homines, ploravit et aer,
2 Budaeus gelidis est quoque fletus aquis ;
3 sic flevere homines, ut plena volumina maestis
4 carminibus quivis Bibliopola terat.
5 Sic aer luxit, consumptis undique nimbis,
6 ut jam quas plueret non reperiret aquas.
7 Flumina sic flerunt, ut qua modo navis abibat,
8 currat inoffensis sicca quadriga rotis.
9 Restabant caelum et tellus, communis ut omni
10 quamlibet immenso maeror in orbe foret,
11 sed quum caelum animam Budaei, terra cadaver
12 possideat, quaeso, qua ratione fleant ?

NICOLAI BEZAE PATRUI QUI REGI A CONSILIIS FUIT.

E_7 v.1 Marmore de Pario nullas hic stare columnas,
2 aera nec artificis vivere jussa manu,
3 nec tumuli cernes operosam surgere molem
4 qualia Mausoli fama sepulchra canit.
5 Scilicet hos titulos, hos quaerere debet honores,
6 qui nil, quo Melius nobilitetur, habet ;
7 hic auten magni quondam pars magna Senatus,
8 aut nullo, aut solo Beza Catone minor :
9 quem sic eripuit virtus ter maxima morti,
10 vivat ut exstincto posthumus ipse sibi.
11 Mortuus e tumulo famam cur captet inanem,
12 illi quam vivo vita peracta dedit ?
13 Immo (si verum fas nobis dicere, sed fas,)
14 dignus, qui tumulo non tegeretur, erat.

CATHARINAE TEXEAE AURELIENSIS.

E_8 v.1 Isto quis jaceat loco sepultus
2 forsan scire cupis, benigne lector,
3 atqui id dicere perlibenter optem.
4 Sed quo nomine debeat vocari
5 quicquid hoc tumulo latet sepultum,
6 scire judico quemlibet sagacem
7 nullum, et quemlibet omnium peritum ;
8 nam si ex corpore judicare sexum

decet, Virgo latet sepulchro in isto.
At quanam ratione nuncupari
debet femina, quam timore nemo
turbatam nimio, aut dolore vidit ?
Nemo prosperiore sorte abuti,
loqui nemo, ubi feminae tacendum,
nemo, quum decuit loqui, tacere,
choros nemo sequi parum pudicos,
nemo ornare comam parum pudenter,
nemo accersere pharmacis colores,
hinc vibrare oculos et inde nemo,
nemo verba loqui petulca vidit.
Ergo vir fuit. At virum vocare
qua decet ratione, cui virilis
illa corporis est negata forma ?
Cur utrumque fuit. Fuisse vero
cur utrumque putem, quod esse neutrum
probatum satis est, superque nobis ?
Diva ergo fuit, altera aut Minerva,
quae quum femina sit, tamen virili
intus est animo, ut ferunt poetae.
Sed est nota satis cruenta Pallas,
et insana Deum libido nota.
Ergo quid superest, nisi ut putamus
quiddam hoc in tumulo latere, quod fit
feminisque, virisque, Diisque majus ?

ANTONII PRATENSIS CANCELLARII GALLIAE.

E_9

Amplissimus vir hic jacet.

EOBANI HESSI POETAE EGREGII.

E_10

Venerat exutus mortali corpore nuper
Hessus, ut infernis exciperetur aquis ;
quem torve intuitus, squalentis portitor Orci,
"Hic ait, hic gratus Manibus hospes erit :
tune Syracusii calamos impune poetae,
Maeonidaeque tubam pessime surpueris ?"
Dixerat, et media vates jam puppe sedebat,
quam vetuit nautam pergere Mercurius.
"Ne saevito, senex, inquit, nam vendicat istum
Juppiter, et superum cetera turba, sibi.
Exstinctis aliis potuit qui reddere vitam,
Ditis in hunc possunt jura severa nihil."

MACUTI POMPONII, QUUM FALSO NUNTIARETUR IN ALPIBUS OCCUBUISSE.

E_11

Vos nunc advoco flebiles Phaleuci,
vos voco, o numeri severiores,

adeste, obsecro, dum meum Macutum,
meas delicias, meamque vitam,
morte lugeo pessima peremptum.
Unde, Pierides, loqui auspicabor ?
Dicamne ut patria bene instituta
natus ille meus Macutus omnes
vita vicerit integra et pudica ?
Dicamne ut patria bene erudita
natus ille meus Macutus omnes
in hac vicerit eruditiores ?
Traxit carminibus suis opacas
silvas, et juga montium comata,
undarum et domuit rapacitatem
Orpheus ; sed superavit hunc Macutus
mutis non modo doctus imperare,
sed pacare hominum potens furorem
et lenes itidem incitare mentes.
Nec solus digitos movere doctus,
sed lingua pariter loqui diserta.
Pericles potuit tonare quondam,
sed Graecus tonuit suis Athenis.
Lingua Tullius eloquens Latina,
Romanis tonuit suis Latinus.
Natus sanguine Gallico Macutus
et Graece tonuisset, et Latine,
hoc si Roma foret Latina saeclo,
et nunc Graecia Graeca personaret.
Apelli Cytherea picta quondam
nec tota attamen, immo inabsoluta,
mille autem Veneresque Gratiasque
expressit lepidus meus Macutus,
aut vicit potius, nec id colore,
sed docta lepidaque scriptione.
Apelles manui, at meus Macutus
debet ingenio perennitatem.
Aegyptum penetravit usque in imam
magnus Pythagoras, Platoque magnus,
et venit, Scythico gelu relicto,
Athenas Anacharsis eloquentes.
Vidit Italiam meus Macutus,
visurus pariter mare atque terras,
doctrinam ut faceret suam auctiorem
coepti si bona sors boni fuisset,
aut siquid reperisset, absoluta
vir quod disceret eruditione.
Vos interrogo, quae caput tenetis
nascentis Rhodani superba saxa,
cur saevos homines fovetis illos,
Macutum mihi qui meum abstulere ?
Vos Nymphae rogo, quotquot hinc vel inde
Lemani vitreas tenetis undas,
cur pati potuistis hunc cruenta,
scelestaque manu virum interire,
cui Nymphae usque adeo fuere cordi ?
Dic mihi, Cytherea, dic, Apollo.
Dic, Hermes, mihi dicite, o Camenae,

cur nostrum, rogo, cur meum Macutum
passi estis perimi ? An minus remoto
ut possetis eo frui, in Deorum
adjuncto numerum et beatitatem ?
Tali dignus eras Olympe, cive,
tali dignus eras domo, Macute.
Habetis, Superi, mei Macuti
nunc divinam animam, at relicta terris
moles corporea, illa quam Macuti
divinum ingenium incolebat olim.
Vos curate animam, Dii, Deaeque,
nobis corporis est habenda cura ;
hoc dicamus ei sepulchrum inane.
Hei, cur non licet apparare verum !
Audi nunc. Ubicumque sis, Macute,
sive cum Jove nunc jocaris una,
ut caeli novus incola, et colonus,
sive te potius novem Sorores,
Parnassusque tenet bicornis, audi.
Te vivum mihi sustulere fata,
exstinctum quoque sustulere fata.
Quod unum licet, his tuo quotannis
pares inferias dabo sepulchro,
ut meo Pyladi, meoque Achati.
Sic qui finis erit mihi loquendi,
deflendi mihi finis est futurus
te, meum Pyladem, meumque Achatem.

SIMONIS GRINAEI, VIRI LONGE ERUDITISSIMI.

E_12
Ecquid ad exstincti Grinaei funera, Nymphae,
tingitis imbre genas largo, Rhenumque per omnem
turbatae, magno repletis litora planctu ?
Ecquid ad exstincti Grinaei funera, Phoebe,
sublatum esse genus, quem par tibi cura sodalem
fecerat, et simile adjunctum cognomen utrique ?
Ecquid nunc jaculatur aquas nimbosus Orion,
et madidam fundit lacrimosus Aquarius urnam ;
ceteraque obscuro radiantia sidera caelo,
illustres tingunt nigra ferrugine vultus ?
Ecquid ad exstincti Grinaei funera, Vates,
dejecti maerore oculos, lacrimantia verba
et maesto alternos trahitis de pectore versus ?
O rerum sortes variae, properataque doctis
semper fata viris ! I nunc, et cura latentes
sit tibi, quisquis eris, naturae inquirere causas.
Scilicet haec stultos mortales fallit inanis
spes vitae, doctis eadem indoctisque minatur
mors tamen, et magno finem impositura labori,
desidiae et magnae. Nunc, si sapis, ergo, viator,
vive tibi, namque ipse tibi moriere, nec unum
progrediere diem, leti quum advenerit hora.
Non tamen usque adeo pietatis nescia corda
sunt, Grinaee, mihi, qui doctos carmine Manes

prosequar, et cura memet consoler inani.
Ergo agite, o Manes ; o mens super aethera pridem
vecta pium, quaeso, a nobis hoc accipe carmen ;
at tu, summe Deum, vasti qui pondera caeli
dirigis, et vastus cui sese accommodat orbis,
Grinaeum insontem dilectis orbibus infer.

## IN CERATINUM, PSEUDOMONACHUM.

E_13 Flete agedum, flete o fratres, exstinctus abivit
   ille unus vestrae religionis honos.
Ridete o reliqui, risu dignissima res est :
   haec sunt perpetuis funera digna jocis.
Quippe hujus quondam mendacibus omnia fucis
   perdere, sola diu curaque mensque fuit.
At dum cuncta tegit, dum fraudibus omnia velat,
   mors simulatorem non simulata rapit.

## IO. QUELINI.

E_14 Ille, Calliope, Quelinus ille,
et tuus simul, et meus Quelinus,
ille, inquam, in media senex juventa
aquis interiit miser sub illis,
non quas fonte tuo hauserat, nec illis
quas secum fluvii trahunt sonantes,
sed quas, dum vigiles terit lucernas,
collectas aluit scelestus hydrops.
Sic tuus periit tibi Quelinus,
sic meus periit mihi Quelinus.
Ergo hunc, Calliope, fleamus ambo,
ut illum propriis aquis peremptum.
Servemus lacrimis, aquisque nostris,
ut vincantur aquis aquae, et putetur
ille, qui periit mihi, tibique,
servatus studio tuo, meoque.

## IACOBI BELNENSIS.

E_15 Hunc sibi Belnensis tumulum, quem cernis inanem,
   struxerat, invidit cui laqueus tumulum.
Debuerat certe, sors si foret omnibus aequa,
   tardius hic fieri, vel prius ille mori.

## RENATI GENTILIS.

E_16 Fracto gutture stare quem revinctum,
impellique vides et huc et illuc,
quondam purpureo sedem Senatu,

primas Parhisio foro tenebat.
Verum (proh facinus, scelusque grande !)
Dum lucri studio impotente captus,
bonos non minus ac malos coercet,
justo numine sic jubente Divum,
vivus qui male sederat tot annos,
stare nunc male mortuus jubetur.

GULIELMI LANGAEI INSUBRIAE PROREGIS.

E_17
Langaeus ille magnus hic jacet, lector,
unus Minervam colere doctus, et Martem,
quo nemo melior pace vixit aut bello.
Vitae genus habes, mortis en genus disce :
aetate consumpta laboribus multis,
suis suorumque omnium fere exhaustis
bonis in usus Galliae suae, tandem,
quum plus Milone et Curione deberet,
interiit. Ergo pauper occidit, dices :
immo locuples, cui patria debuit tantum.

STEPHANI DOLETI AURELII.

E_18
Ardentem medio rogo Doletum
cernens Aonidum chorus sororum,
carus ille diu chorus Doleto,
totus ingemuit, nec ulla prorsus
e sororibus est reperta cunctis,
Naias nulla, Dryasve, Nereisve,
quae non vel lacrimis suis, vel hausta
fontis Pegasei studeret unda
crudeles adeo domare flammas.
Et jam totus erat sepultus ignis,
jam largo madidus Doletus imbre.
Exemptus poterat neci videri,
quum caelo intonuit severus alto
Divorum pater, et velut peraegre
hoc tantum studium ferens sororum,
"At cessate, ait, et novum colonum
ne diutius invidete caelo,
caelum sic meus Hercules petivit."

IO. DAMPETRI.

E_19
Clausus coenobio latebat olim
ille Dampetrus, optimus virorum,
princepsque Hendecasyllabon poeta.
Et clausus pariter latebat idem,
mole corporea, haud quidem, fatemur,
obesa nimis aut tenebricosa,

verum corporea, et proinde tali
ut divinum animum velut quibusdam
nexum compedibus tenere posset.
At nunc coenobiique, corporisque
vinclis Dampetrus exsolutus exit,
doctorumque volat per ora liber,
qui tamen moriens, suis amicis
heu quot millia lacrimationum,
heu quot attulit anxios dolores !
Ergo haud occidit ipse, quod putaram,
occidit potius suos amicos.

NOBILISS. PRINCIPIS, FRANCISCI BORBONII, DUCIS ANGUIENNENSIS.

E_20 Quum nuper gladios, et fortem evaseris hostem,
hic, Francisce, jaces, nec tamen ense jaces.
Sed nec in hostili potuisti occumbere campo,
nec fortis forti victus ab hoste cadis.
Sedibus at patriis, belli simulacra cientem
missa infelici sustulit arca manu.
Arca, olim, ut credo, Stygia compacta cupressu,
arca, eheu, quanta nobilitata nece !
Arca in qua Parcam Mavors absconderat ipse,
audiit ut factis aemula facta suis.
Sic igitur miserande cadis, nec cernere longum
illa tua licuit parta tropaea manu.
At si nobiscum vis, o fortuna, jocari,
cur istis mors est seria mixta jocis.

FRANCISCI VALESII, I. CHRISTIANISSIMI FRANCORUM REGIS,
P.P. ET BONARUM LITERARUM ASSERTORIS, VINDICISQUE.

E_21 Nobile, quisquis ades, Regis venerere sepulchrum,
Regis sepulchrum nobilis.
Nec pigeat mecum Francorum incommoda flere,
dum multa paucis explico.
Corporis ac animi florentem dotibus, atque
re facile primum, ut nomine,
Franciscum hunc Regem vidit Fortuna, simulque
invidit, ut bonis solet.
Illum igitur ficto interdum demulsit amore,
et inclitis victoriis ;
reppulit irata interdum, vultuque minaci
tradidit in hostium manus.
Sed nec sors illum melior sic extulit umquam,
ut esset immemor sui ?
Nec Fortuna animos illi sic fregit acerba,
quin victus illam vinceret.
Ergo suos cernens vanos Fortuna labores,
et irritos omnes dolos,
auxilium poscit supplex a Morte ; roganti
Mors paret illi protinus,

et regis primum e natis truculenta peremit,
cui tertium mox addidit.
Heu ! Juvenes ambos, ambos nil tale timentes,
et non mori dignissimos.
Tandem etiam, o facinus ! Parta jam pace fruentem
aggressa patrem sustulit ;
sublatum ingemuere omnes, sed prae omnibus, illae
illae Camenae nobiles,
Hebraeae, Graecae, Latiae, quas ille fovebat,
ut filias solet pater.
Quae nunc, ut referant illi quae praemia possunt,
fovent vicissim mortuum,
et quantum in sese est, a caeca mortis opacae
oblivione vindicant.

## FRANCISCI VALESII, FRANCISCI REGIS FILII, ET GALLIARUM DELPHINI.

E_22

Hunc etiam juvenem exstinctum, rogo, cerne, viator,
hei mihi, cur vivum dicere fata vetant ?
Hic est, quo niti regnum debebat avitum,
spes patriae nuper, spes quoque prima patris,
pro quibus intrepidus fortem dum fertur in hostem,
ipse illum Mavors vidit, et obstupuit.
Aggressusque dolo, et crudelis fraude veneni
sustulit. Heu magnis fraus bene nota viris !
Macte tamen Princeps, nam te mors ipsa fatetur
non aliter vinci quam potuisse dolo.
Nempe erat hoc reliquum, Pellaei ut principis acta
aequares, simili te quoque fraude mori.

## CAROLI VALESII, FRANCISCI REGIS FILII, ET AURELIORUM DUCIS.

E_23

Gallia felici felix mihi patria nuper,
idem etiam nuper rexque paterque fuit.
Ingenium (nisi me assentatrix turba fefellit)
caeleste, et summis aemula forma deis.
Jamque mihi externos Fortuna parabat honores,
jam poteram magni Caesaris esse gener,
quando ferox blanda pro conjuge Parca reperta est,
quae mihi pro thalamo sterneret hunc tumulum.
Nec tam erepta movent tamen haec me commoda vitae,
quam doleo abruptum nobile pacis opus.
Sed quamquam haud potui pacem componere vivus,
quis scit ab interitu surget an ipsa meo ?

## IN MORTEM FRANCISCI VALESII, I. FRANCORUM REGIS, ET DUORUM EJUS LIBERORUM, FRANCISCI CAROLIQUE, ALTERIUS GALLIARUM DELPHINI, ALTERIUS AURELIORUM DUCIS.

E_24

Aspicis infelix tres Regum Gallia mortes,

heu vicina nimis funera funeribus !
Aspicis efferri, quantaque potes pietate
prosequeris facibus, prosequeris lacrimis.
Nec mirum : digni siquidem natique paterque,
quorum elementa necem muta vel ipsa gemant.
Crudeles superi, ut sit mors matura parentis,
(debuerat princeps si tamen iste mori)
at cur tam subito ternis ex fratribus, unum
servastis, rapuit Mors violenta duos ?
Nam potius, digna ut virtutis praemia ferrent,
condendus triplex fratribus orbis erat.

# IV

## ICONES (43 vers)

### HERCULES OETEUS.

I_1 Certavit mecum virtus, superataque cessit :
hac volui victa, victor et esse mei.

### DIDO ROGUM CONSCENSURA.

I_2 Funere Didonis sapientes este puellae,
sunt nulla hospitii pondera, nulla tori.

### HECTOR.

I_3 Hectoris incolumis mansisti, patria, dextra :
Hectore quid mirum si pereunte, peris ?

### PYTHAGORAS.

I_4 Laudent vitam alii suam loquendo,
virtutem ipse meam probo tacendo.

XENOPHON.

I_5 v.1 Pallada dilexi, pariter me Pallas amavit,
2 et literas Pallas et dedit arma mihi.

ALEXANDER MAGNUS.

I_6 v.1 Post Persas fusos, quaesitasque orbis habenas,
2 armis non potui cedere, cedo dolis.

DEMOCRITUS.

I_7 v.1 Omnia Democritus ridebat, tu quoque, lector,
2 Democriti ride, si sapias, tumulum.

DEMOSTHENES.

I_8 v.1 Magnum opus est, hominum regere et componere mentes,
2 sed tamen hic magnum praestitit illud opus.

SPARTANA FILIUM INTERFECTURA.

I_9 v.1 Ergo ubi sunt comites ? Tune es Lacedaemone natus ?
2 At peperit matrem terra Lacaena tibi.

SAPPHO.

I_10 v.1 Auxit Musarum numerum Sappho addita Musis,
2 felix si saevus sic voluisset amor.

LUCRETIA.

I_11 v.1 Pollutum est corpus, mansit mens integra nobis ;
2 et nox ex isto corpore casta fugis ?

M. BRUTUS CAESARIS INTERFECTOR, SEIPSUM INTERFECTURUS.

I_12 v.1 Divitiis uti licuit cum Caesare partis :
2 ferre necem possum, non potui dominum.

CATO UTICENSIS.

I_13 v.1 Vicisti Magnum Caesar, sed quidlibet aude,
2 unus dicetur se superasse Cato.

CAMILLUS.

I_14 Romanam, fateor, construxit Romulus urbem,
capta ego restitui moenia : major uter ?

P.VIRGILIUS MARO.

I_15 Et tu, docte Maro, es sublatus orbi.
Mori numina posse quis putasset ?

IUPPITER PHIDIACUS.

I_16 Ut tali sese cognovit imagine pictum,
tandem etiam geminus Juppiter, inquit, ero.

IN EUNDEM.

I_17 Quantum hic a vero distet Jove Juppiter audi,
nempe hic est castus, priscus adulter erat.

VENUS.

I_18 Me Paris, et natus nuper, Pallasque salutant,
haec Venerem, matrem natus, at ille deam.

IN EANDEM.

I_19 Nunc demum coepi Venus esse venustior, olim
quae fuerant sociae contineo Charitas.

IN EANDEM.

I_20 Falluntur, qui me cohiberi posse negarunt :
en basis haec Venerem sistere parva potest.

T. LIVII.

I_21 Tumulum Tito nuper parabam Livio,
quum sic Apollo jussit ut desisterem :
"Haec mortuos, inquit, decent : vivit Titus."

# V

## THEODORI BEZAE VEZELII EPIGRAMMATA. (1174 vers)

### AD LECTOREM.

E_1 Sunt qui Lectori longo fastidia libro
longa ferant, fas sit scribere pauca mihi.
Iste tamen poterat, Lector, liber esse, libellus :
pendere sed versus, non numerare decet.

### AD EUNDEM.

E_2 Non convicia, nec latrationes,
nec ronchos timeo, calumniasve,
nec ullos obelos severiores.
Non quod judicio meo Poeta
sim tantus, nihil ut queat reprendi :
sed quod judicio meo Poeta
sim tam ridiculus, parumque doctus,
ut nullum fore judicem eruditum,
meos carpere qui velit labores :
nam quis Aethiopem velit lavare ?

### DE GEMINIS SOLIBUS VISIS LUTETIAE PARHISIORUM, ANNO 1539.

E_3 Aspiceres nuper geminos quum, Gallia, Soles,
mirata es Soles, Gallia tota, duos.
At nunc mirari potius tua commoda disce,
quae spondere tibi sidera bina vides.
Sol est Franciscus, sol est quoque Carolus, istos
nimirum Soles astra benigna notant.
Quod si concordes foedus conjunxerit ictum,
eclipsis fuerit nulla timenda tibi.

### IN CLAUDIUM.

E_4 Non cessas veteres, Claudi, incusare Poetas,
claudo ausos Venerem jungere Mulcibero.

At Divos ego non cesso vocitare furentes,
uxor quod claudo sit data bella tibi.
Attamen hoc nostrum coepit lenire dolorem,
quod tua nunc Martem coepit habere Venus.

## DE COMMENTARIIS D. MELCHIORIS VOLMARII, PRAECEPTORIS CHARISSIMI, IN HOMERI POESIM.

E_5 Maeonidem ingrati privarant lumine Divi,
nec vati quicquam proderat esse sacro.
Hoc scelus advertens noster Volmarius, illi
restituit, divi quos tulerant oculos.
Parcite mi, Superi, vobis est major habendus,
irrita qui Superum reddere jussa potest.

## IN QUENDAM ASINORUM ENCOMIASTEN.

E_6 Dum laudas asinos, toties cur, Pontice, peccas ?
Nempe tibi ignotum γνωθι σεαυτόν erat.

## IN AMOREM.

E_7 Esse hominum curam Superis si credere fas est,
et quae sentimus commoda ferre Deos,
cur, rogo, felici Divum numeratur in albo
fraudibus ille suis nobilitatus Amor ?
Sane illum quisquis supremo adscripsit Olympo,
hunc nimius, credo, coepit Amoris amor.

## DE VENERE MARMOREA REGI DONATA A RENZO EQUITE.

E_8 Quae tibi missa fuit nuper, Rex maxime regum,
non est ficta Venus, vera sed ipsa Venus.
Scilicet illa polum, Martemque, Jovemque reliquit,
quod te his majorem crederet esse tribus.

## AD CAROLUM QUINTUM, QUUM LUTETIAM INGRESSUS ESSET.

E_9 Te praesente sua est facies quod reddita caelo,
et sensit numen Juppiter ipse tuum,
miratur vulgus ; sed cui est tua cognita virtus,
virtus, perspectum, quid tua possit habet.
Scilicet hoc aequum est, ut qui moderamine tanto
jura dat in terris, jura det ipse polo.

## AD LODOICVM VALIDVM.

E_10 An est credibile, hunc meum libellum,
hunc, inquam, illepidum meum libellum
perlectum esse tibi, et molestiarum

a te taedia tanta devorata ?
Esto, legeris, et molestiarum
semel taedia tanta devoraris,
dic mihi, Lodoice, amabo, tune
ullum umquam insipidum magis poetam
legisti ? An retices ? Nec id fateri
vis ? Personam igitur tuam ipse sumam,
et satisfaciam mihi roganti,
et quanta potero intonabo voce,
non vidi insipidum magis poetam.

DE AMICITIA CUM TRUCHIO INITA.

E_11 Heu, vos advoco, vos acres Sophistas,
fallaces, querulosque homunciones,
qui noctes teritis, diesque totos,
quaerendo insidias locutionum.
Vos, inquam, advoco, vos acres Sophistas,
qui posse hoc fieri simul negatis,
ut quis victitet in locis duobus.
Tandem vera loqui, o tenebriones,
discite, et fieri videte posse,
posse quod fieri simul negatis,
quum sim unus, tamen in locis duobus
vitam vivo simul, velutque nostra
in partes geminas secata mens est :
apud me altera vivit, altera autem
vivit in Truchio meo. Ergo nobis
palmam ceditis, o tenebriones ?

IN SAPIDUM.

E_12 Dum sese egregium Sapidus putat esse poetam,
desipit, et Sapido nil magis insipidum.

DE THEOCRENI LIBELLO.

E_13 Arma Maro laudare docet spatiosa colonos,
idem parva docet rura colenda Maro.
Qui volet, hic terram centenis vertat aratris,
plus juvat hic parvus, sed bene cultus ager.

IN PHILAENUM.

E_14 Nil non egregie facit Philaenus.
Tersus, integer, elegans Philaenus.
Testem si petis, en tibi, Phileno
teste, haec omnia perficit Philaenus.

AD BIBLIOTHECAM.

E_15

Salvete incolumes mei libelli,
meae deliciae, meae salutes,
salve mi Cicero, Catulle salve,
salve mi Maro, Pliniumque uterque,
mi Cato, Columella, Varro, Livi,
salve mi quoque Plaute, tu Terenti,
et tu salve Ovidi, Fabi, Properti,
vos salvete etiam disertiores
Graeci, ponere quos loco priore
decebat, Sophocles, Isocratesque.
Et tu cui popularis aura nomen
dedit, tu quoque, magne Homere, salve.
Salve Aristoteles, Plato, Timaee.
Et vos o reliqui, quibus negatum est
includi numeris Phaleuciorum.
Cuncti denique vos mei libelli
salvetote, iterumque, tertiumque,
atque audite meam precationem :
hoc ergo precor, o mei libelli,
ut ne longa mihi mora illa (senis
nam a vobis procul abfui diebus)
obsit quominus undiquaque tali
sitis in me animo et favore deinceps,
quali, dum proficiscerer, fuistis,
nimirum facilique candidoque.
Quod si istam mihi supplicationem
vos concesseritis, mei libelli,
id vobis quoque pollicebor ipse,
non me unam hebdomadam procul, quid ? Immo
non diem procul unicum abfuturum.
Quid diem ? Immo nec horulam, immo nullum
punctum temporis, ut libet pusillum.

## AD SODALES, DE MELCHIORIS VOLMARII, PRAECEPTORIS CHARISSIMI, ADVENTU IN GALLIAM.

E_16

Audite, o lepidi mei Sodales,
ter suavem atque hilarem locutionem,
ille Volmarius, mei o Sodales,
integerrimus omnium virorum,
ille Volmarius modo est reversus.
Hunc ergo, o lepidi mei Sodales,
diem cantibus, oro, transigamus.
Procul maestitiae, molestiaeque,
procul tristitia. Atque solitudo,
procul sint gemitus, procul dolores.
At tu, laetitia, adveni, tuumque
adducas comitem, optimum Deorum
Lyaeum, et Cererem optimam Dearum.
Io, mi bone Bacche, mi Lyaee,
o Ceres mea, ne mihi negetis,
quaeso, istam exiguam petitionem :
advolate, rogo, Deis relictis.
Hic nulli tetrici deambulones,
hic rixosus erit Sophista nullus,

sed convivae aliquot boni poetae,
nempe Rillerius, Jobertiusque ;
tertius quoque Claudius futurus,
locum post alios tenebo quartum.
At tu Melchior in loco supremo
sedens, Mercuriique Apollinisque,
et vices Charitum supplebis unus.
Quod si forte tua eruditione
audita (quis enim tuam negarit
in caelum quoque transiisse, famam ?)
Facundus veniat nepos Atlantis,
aut Phoebus, Charitesve ; tunc manebis
suprema nihilominus cathedra,
et tacentibus omnibus loqueris.
Nam quis (ni genitus caret cerebro)
Phoebo, Mercurioque, Gratiisque,
neget Volmarium eruditiorem ?

## IN LAUDEM COLUMELLAE.

E_17
Orphea mirata est Rhodope sua fata canentem,
si modo Virgilii carmina pondus habent.
Tu vero, Juni, silvestria rura canendo,
post te urbes ipsas in tua rura trahis.
O Dii, quos olim nutrivit Roma Quirites,
quae tam facundum viderit agricolam !

## DE ALDO MANUTIO, ROM. OMNIUM QUIDEM AUTHORUM, PRAECIPUE VERO POETARUM EXCELLENTISSIMO TYPOGRAPHO.

E_18
Didonis cecinit rogum disertus
Maro, Pompeii rogum Lucanus,
et diserte adeo hoc uterque fecit,
ut nunc vivere judicetur illa,
nec jam mortuus hic putetur esse.
Immo sint redivivi et hic, et illa.
Ergo credere fas erit poetas
divos, utpote qui loquendo possint
vitam reddere mortuis ; quod ipsis
est divis proprium et peculiare.
Quod si credere fas Deos poetas,
vitam reddere quod queant sublatam :
quanto est justius, aequiusque, quaeso,
Aldum Manutium deum vocare,
ipsis qui potuit suo labore
vitam reddere mortuis poetis ?

## DE CANDIDA.

E_19
Defessus medio toro jacebam,
et somno grave jam caput cadebat,
sui Candida quum miserta Bezae,
praesens est mihi visa dormienti,

jocos, deliciasque factitare,
et tractare manu, et notare ocellis,
et blaesa velut increpare voce.
Contra sic ego somnians loquebar,
ni sis me mihi carior, puella,
dissolvi cupio, et perire totus.
Vix haec edideram repente nostrum
quum lux invida somnium diremit,
et meam mihi sustulit puellam.
At tu, quisquis es, o tenebricosae
praeses optime cogitationis,
seu te Morphea, seu vocare Somnum
fas est, fac vigil ut queam videre,
quod somno potui videre captus.
Aut, si non aliter potes mederi
huic desiderio meo, perennem
inducas mihi somniationem.

## IN SEXTVM.

E_20
Caecus es, et cunctos reprendis, Sexte, poetas :
sanum reprensor debet habere caput.

## IN THAIDA CAECAM, ET PONTICUM CLAUDUM.

E_21
Thaida cras duces caecam, pede claudus utroque :
convenis uxori, convenit illa tibi.
Integrum e duplici surget sic corpore corpus,
si praestes oculos, praestet at illa pedes.
Ergo rem faciunt te dignam, Pontice, divi,
semiviro qui dent ημιγύναικα tibi.

## IN LUPUM.

E_22
Jejunus sobrium mihi Platonem
laudabas, Sophiamque praedicabas.
Mox vero ut tibi cena sumpta mecum,
mutasti faciem atque opinionem.
Qui factum hoc, Lupe, tam cito ut juberes
a cena Sophiam valere ? Nempe
cenatus, Lupe, non eras apud te.

## DE FRANCISCO RABELAESO.

E_23
Qui sic nugatur, tractantem ut seria vincat,
seria quum faciet, dic, rogo, quantus erit ?

## DE HELIONORA FRANCORUM REGINA.

E_24
Nil Helena vidit Phoebus formosius una.
Te, Regina, nihil pulchrius orbis habet.

Utraque formosa est, sed re tamen altera major :
illa serit lites, Helionora fugat.

### IN ASINUM.

E_25
Seu domi mihi, seu foris repertus,
promissi et fidei datae admoneris,
tu contra velut admodum occupatus,
has facis nihili petitiones,
sed horam tamen inquis adfuturam,
qua me ex paupere divitem et beatum
reddas. En igitur tibi ipse dono,
horas quod tibi nuntiabit omnes.
Tandem nunc, Asini, potes jubere,
haec ut hora sonet diu expetita.

### DE FRANCISCI ET CAROLI INDUCIIS.

E_26
Roma olim cessit soceri generique furori,
et cecidit gladiis inclyta Roma suis.
Quod si illi placidas junxissent foedere dextras,
robore staret adhuc Martia Roma suo.
Sic fratrum immitis nuper discordia, paene
funditus Europae verterat imperium ;
at quoniam jungunt concordia pectora fratres,
servatum Europae dicitur imperium.

### DE MORBO FRANCISCI GALLORUM REGIS, SALUTEQUE MOX ILLI REDDITA.

E_27
Aegroto Pallas Francisco aegrota jacebat,
optabat Mavors aeger et ipse mori.
Illa, quod hoc tutam solo se credat alumno :
hic, quod sit studio natus uterque pari.
Quod si Franciscum mors eripuisset, eodem
funere Mars functus, functa Minerva foret.
Hoc Atropos mirata nefas, feritate reposta,
tres una vetuit morte perire Deos.

### AD CL. MAROTUM.

E_28
Tam docte Venerem divinus pinxit Apelles
illi ut credatur visa fuisse Venus.
At tantam sapiunt Venerem tua scripta, Marote,
ut tibi credatur cognita tota Venus.

### AD CANDIDAM, DE IPSIUS FACIE IN TABELLA EXPRESSA.

E_29
Quanto pulchrius, elegantiusque
picta haec est tabula, omnibus tabellis ;
tanto pulchrior, elegantiorque,
hac ipsa mihi crederis tabella.

### XENIUM TRUCHIO ET DAMPETRO.

E_30
Sinceris mos est numquam neglectus amicis,
   anni sub primos mittere dona dies.
Nempe quod ut veteris renovatur circulus anni,
   fas sit ut antiquus sic renovetur amor.
Ergo quum Bezam Truchius fateatur amicum,
   nec me Dampetrus deneget esse suum ;
non temere, priscos homines imitatus, utrique
   parva quidem mitto dona, sed apta tamen.
Ambo estis vates, ambobus carmina dono,
   carmina quae nostri pignus amoris erunt.
Vos pridem sincerus amor conjunxit in unum :
   unum igitur decuit munus habere duos.

### DESCRIPTIO VIRTUTIS.

E_31
Quaenam tam lacero vestita incedis amictu ?
   Virtus antiquis nobilitata sophis.
Cur vestis tam vilis ? Opes contemno caducas.
   Cur gemina est facies ? Tempus utrumque noto.
Quid docet hoc frenum ? Mentis cohibere furores.
   Rastros cur gestas ? Res mihi grata labor.
Cur volucris ? Doceo tandem super astra volare.
   Cur tibi mors premitur ? Nescio sola mori.

### IN FORI MANCIPIA.

E_32
Quum sit hoc proprium fere poetis,
rebus omnibus ut peculiarem
divum constituant, suumque numen ;
cur lucrum, forum, et elocutionem,
uni Mercurio tamen sacrarunt ?
Prisci scilicet hoc modo indicarunt
futurum, ut rabiosa quisquis arma
tractaret fori, haberet ille curam
lucri, non minus ac locutionis.

### AD MARIANUM.

E_33
Augustas, Mariane, deum venturus ad aras,
   nulla cremas magno tura Sabaea Jovi.
Nec capis externos cultum qui spargat odores,
   nec diti tractas aspera signa manu.
Gemmatae numquam sudas sub pondere vestis,
   nec digitos onerat res peregrina tuos.
Sed placidam et nullo pollutam crimine mentem,
   atque sua notas a pietate manus.
Ceteraque integros domini testantia mores,
   haec, inquam, magnis das, Mariane, deis.
Quod si rara solent merito pretiosa videri,

nemo dedit, nemo plus, Mariane, dabit.

## IN ERASMI IMAGINEM.

E_34 Illum, quo totus nunc personat orbis, Erasmum
haec tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum ? Mirari desine, lector :
integra nam totum terra nec ipsa capit.

## AD MUSAS.

E_35 Si rogat Cereremque, Liberumque
vitae sollicitus suae colonus,
si Mavortis opem petit cruentus
miles, sollicitus suae salutis,
quid ni, Calliope, tibi, tuisque
jure sacra feram, quibus placere
est unum studium mihi, omnibusque
qui Vatum e numero volunt haberi ?
Vobis ergo ferenda sacra, Musae.
Sed quae victima grata ? Quae Camenis
dicata hostia ? Parcite, o Camenae,
nova haec victima sed tamen suavis
futura arbitror, admodumque grata.
Accede, o tinea, illa quae pusillo
ventrem corpore tam geris voracem ;
tene Pieridum aggredi ministros ?
Tene arrodere tam sacros labores ?
Nec factum mihi denega : ecce furti
tui exempla, tuae et voracitatis.
Tu fere mihi passerem Catulli,
tu fere mihi Lesbiam abstulisti.
Nunc certe meus ille Martialis
ima ad viscera rosus usque languet,
et quaerit medicum suum Tryphonem.
Immo et ipse Maro, cui pepercit
olim flamma, tuum tamen terebrum
nuper, o fera ter scelesta, sensit.
Quid dicam innumeros bene eruditos,
quorum tu monimenta, tu labores
isto pessima ventre devorasti ?
Prodi, jam tunicam relinque ! Prodi.
Vah, ut callida stringit ipsa sese !
Ut mortem simulat scelesla ! Prodi,
pro tot criminibus datura poenas.
Age, istum jugulo tuo mucronem
cruenta excipe, et istum, et istum, et istum.
Vide ut palpitet, ut cruore largo
aras polluerit profana sacras.
At vos, Pierides, bonaeque Musae,
nunc gaudete, jacet fera interempta,
jacet sacrilega illa, quae solebat
sacros Pieridum vorare servos.
Hanc vobis tunicam, has dico, Camenae

vobis exuvias, ut hinc tropaeum
Parnasso in medio locetis, et sit
haec inscriptio : "De fera interempta,
Bezaeus spolia haec opima Musis."

### IN PHILAENUM.

E_36 Aurelias vocare vespas suevimus,
ut dicere olim mos erat nasum Atticum.
At te, Philaene, Aurelium vocabimus
fucum, quod omnes adeo pungas frigide,
aculeum ut interim relinquas nemini.

### AD TRIPUTIUM, AURELIUM IURISC.

E_37 Doctum illum et lepidum tuum libellum,
quo mysteria juris explicasti,
fertur Mercurius tulisse nuper
ima ad Tartara, protinusque doctis
illis manibus, ut Papiniano,
Paulo, Scevolae, et Ulpiano, et illi,
juris quem merito vocant lucernam,
legendum exhibuisse ; deinde lecto
sic coepisse loqui tuo libello :
"Ecquid ceditis ? At Papinianus,
cuncti cedimus, inquit, haud gravate."

### IN PHILOPATRUM.

E_38 Damnabis (fateor) nostros, Philopatre, libellos,
   et tibi non lectum despicietur opus.
Quid tum ? Si nostros carpas, Philopatre, libellos,
   debebunt tanto nostra placere magis.

### IN EUNDEM.

E_39 Sive Palatina Philopatrus inambulet hora,
   et fatuo incessu marmor utrumque terat ;
sive fames illum locupletum quaerere mensas,
   et procul e vacua jussit abire domo,
seu jejunus eat, seu pleno ventre vacillet,
   seu lateat solus, seu comitatus eat :
semper habet quiddam, turpi quod garriat ore
   quod merito possit carpere, semper habet.
Semper hiat, semper colloque humerisque laborat,
   et simulat magnum voce, manuque sophos.
Sed quum te audierit multi bene multa loquentem,
   nemo bene audivit te, Philopatre, loqui.

XENIUM CANDIDAE.

E_40
Vestes divitiis graves et arte,
aptandumve tuo monile collo,
aut quos India mittit uniones
Jani nec queo, nec volo Calendis
ad te mittere, Candida, una Bezae
dilectissima Candida. At quid ergo ?
Ipsam nempe animam tibi dicatam,
amorisque tui ignibus perustam,
quae, pridem tua sit licet, suamque
te pridem dominam vocetque, ametque,
se rursus tibi datque, dedicatque
inclusa his numeris Phaleuciorum.
Quod si munera raritate censes,
o Dii ! Quam tibi grande mitto munus !

DE TRUCHIO ET VALIDO.

E_41
Vos ego divini Manes appello Platonis,
integer est cujus munere notus Amor.
Dicite, non cur nam in sese moriantur amantes,
curve anima vivant alter in alterius ;
aut quales merito nobis dicamus amicos,
aut solidi verum quod sit amoris opus.
Haec ego non quaero, nec quae retulisse Platonis
sobrius ad sobrii prandia fertur amor.
Sit satis haec dixisse semel : nunc dicite, Manes,
quaedam animo nondum sat bene nota meo.
Mens simplex atque una mihi est, hanc attamen unam
pridem amor in partes jussit abire duas ;
atque ait "Hanc animam divisam trado duobus,
dimidiam Truchio, dimidiam Valido.
Salva tamen mens est, vivo, scriboque, loquorque,
et tamen haec Validi est, et tamen haec Truchii est.
Quodque magis mirum, quum sit divisa duobus,
utrumque integram diligo, amoque animam."

IN HUBERTUM.

E_42
Norunt Hubertum ganeones prodigi,
norunt magistri cocta quos crambe necat ;
in urbe tota nullus histrio latet,
nec moechus ullus, laeno scurrave impudens,
nec chiromantis ullus, aut cadaverum
molestus excitator, aut vates malus,
cui non Hubertus iste sit notus bene.
Sed scire vis, ignotus hic cui sit ? Sibi.

IN OLLUM.

E_43
Quamvis illa mihi forensis esset
pridem perfidia usque et usque nota,

nec donis ego, nec pecuniarum
peperci cumulo, ut mihi innocenti
praesto judicis ad Tribunal esses.
At tu, muneribus meis receptis,
me, nec id semel, Olle, prodidisti.
Sane es integer, et bonus patronus,
spem qui fallere non velis clientis.

## DE IOANNE SECUNDO, HAGIENSI, POETA EXIMIO.

E_44 Excelsum seu condit opus, magnique Maronis
luminibus officere studet :
sive leves elegos, alternaque carmina, raptus
Nasonis impetu canit ;
sive lyram variis sic aptat cantibus, ut se
victum erubescat Pindarus ;
sive jocos, blandosque sales epigrammate miscet,
clara invidente Bilbili.
Unus quattuor haec sic praestitit ille Secundus,
Secundus ut sit nemini.

## AD FABULLUM.

E_45 Si cenare voles, Fabulle, mecum,
(sed cenare voles, Fabulle, mecum)
audi quae tibi cena sit parata :
perdices gemini duas edemus,
turtur mox aderit, nec ille solus,
sed quem casta etiam sequetur uxor.
Haec nos frigidulo mero, Fabulle,
et fame haec quoque condiemus ipsa.
Sed scis qualia vina comparavi ?
Quae si non vocites Opimiana,
at certe Optimiana jure dicas.

## IN PHILAENUM.

E_46 Erasmus ille, quo fatentur plurimi
nihil fuisse, vel futurum doctius,
tibi, Philaene, stupidus est et plumbeus ;
et quicquid uspiam ab omnibus fingi potest
calumniarum, stulte in illum congeris.
Latra, Philaene, quamdiu et quantum voles :
hunc scire constat plura, quam tu nescias.

## GENETHLIACON FRANCISCI VALESII, HENRICI VALESII GALLIARUM OLIM DELPHINI, ET ILLUSTRISSIMAE PRINCIPIS CATHARINAE MEDICES, FILII.

E_47 Fertur in Alcmenes venturus Juppiter olim
brachia, ter noctis continuasse vices.
Nempe quod in magni divinos Herculis ortus,
nox, hiberna licet, non foret una satis :

sic, princeps Henrice, tuo quum e semine vellent
Alcidem Gallis gignere fata suum,
unius in prolis conceptum currere messes
jusserunt, magna cum ratione, decem.
Scilicet haud aliter prorsus, quam pluribus annis
formari tantus debuit iste puer.
Et (si fas homini res est aperire futuras,
nec dici Vatum numen inane decet)
quo deni plures ternis sunt noctibus anni,
hoc tuus hic infans Hercule major erit.

## GENETHLIACON ISABELLAE A FRANCIA HENRICI VALESII, GALLIARUM OLIM DELPHINI, ET ILLUSTRISSIMAE PRINCIPIS, CATHARINAE MEDICES, FILIAE.

E_48 Ecce novos peperit Gallis Catharina triumphos
jam prole dives altera ;
natorumque loco felicem crescere turbam
avus nepotum conspicit.
En vixdum nata in cunis Isabella videtur
vagire quiddam regium.
Moxque jocos blandae tenero cum fratre sororis.
Spectabit Henricus pater,
at Gallus primis jam nunc miratur in annis
suos futuros principes.
Et quamvis tenerae, magnum jam frontis honorem,
notasque regiae colit ;
donec paulatim, illorum crescentibus annis,
spes patriae adolescat simul :
Francisco ut domitos forti, victosque pudico
Isabellae amore blandulae,
Gallica conspiciat venerari lilia pronos
orbis superbos principes.
Illi etenim nullus poterit par viribus esse,
odisse nullus hanc volet.

## DE FELICI INAUGURATIONE HENRICI II CHRISTIANISSIMI FRANCORUM REGIS.

E_49 Francisco postquam sublato, Gallia sensit
cujus lene foret mox subitura jugum,
finiit, ut potuit, gemitus, animisque receptis
isthaec fassa fuit damna lucrosa sibi.
Ergo age, quam primum fac hujus, Sequana, Regis
ad gelidas Arctos nuntia fama volet ;
haec Liger Hesperiis, Rheni, Mosa, dicito ripae
haec, Rhodane, ambustos perfer ad Aethiopas,
Gallorum, Henricum, felicia sceptra tenere,
ingentem ingenti de genitore satum.
Nec regem esse tamen, dubium quia fecerit ipse,
Rex Gallis dici debeat, anne pater.

## D. QUELINO SENATORI.

E_50 Seu Dea, seu Deus est, qui te tam laeta parantem

conjugia, e tristi vix sinit ire toro,
illa Deae, iste Dei privari numine dignus,
dignus qui Superum cedat ab arce procul.
Nam tua vel virtus, vel castae vota puellae,
materies justi plena favoris erat.
Perge, Queline, tamen, nec tam bene coepta morere :
finem etiam morbis Dii statuere suum.
Perge puella simul, namque aegrotante Quelino
vix alius toto sanior orbe vir est.

## AD PONTICUM.

E_51 Nostras, Pontice, somniationes
narro quum tibi, tunc moves cachinnos,
et haec plena putas ineptiarum.
Atqui, Pontice, somniare nuper
sic mi contigit, ut mihi viderer
omnes divitias, opes, talenta,
Pactolique, Tagique, possidere.
Esse haec somnia vera tun negabis ?

## DE VICTORIA PARTA ADVERSUS MARCHIONEN VASTI, ANNO 1544.

E_52 Francorum victas acies Insubria vidit,
vidit, sed Franci robore freta ducis.
Namque velut quondam Romam oppressere quirites,
sic est paene sua Francia versa manu.
At nunc eversas Aquilas Insubria cernit,
et colubris rursus lilia juncta suis.
Ergo seu vincat, seu cedat Francus, utrimque
virtutis laudem quod mereatur, habet.

## AD GERMANUM VALENTEM.

E_53 Ergo Germani vultus violabit amoenos
barba, licet lenis, flavaque, dura tamen ?
Dura equidem nobis quae tam cito praeripit illas,
illas quas Phoebus vellet habere genas.
Et mediam nobis faciem quae surripit illam,
quam lepos incoluit, cumque lepore jocus.
Istos barba decet, quibus est sic acta juventus,
ut canae tuti sint sub honore comae.
At quid non didicit primis Germanus ab annis,
quem vicena videt bruma peracta senem ?
Cede igitur lanugo procul : nisi cesseris, ecce,
quod queat invitam cogere, tonsor habet.

## DE FRANCISCO GALLIARUM REGE.

E_54 Vidimus, heu, fratres in mutua bella paratos
vidimus accensas Martis ubique faces.
Nunc tamen, o Superi, placidis allabitur alis

aurea perpetuos pax habitura dies.
Quis porro tanti tibi, Gallia, muneris auctor ?
Gallia, quo tandem vindice facta tua es ?
Scilicet hic superum favor est, haec munera Divum,
non sunt haec caeli munera tota tamen.
Quippe etiam partem doni sibi vendicat hujus,
et Rex, et Regis natus uterque tui.
Roma igitur patriae Patres numeraverit olim,
nos patriae Patres, e numeremus avum.

## IN PAULINUM.

E_55 Paulino quoties condixi, Testile, cenam,
numquam, quum taceat cetera turba, tacet.
Nec nisi depositis dapibusque meroque , quiescit.
Ergo satur, dices, non abit : immo venit.

## IN CAECILIUM.

E_56 Quandocumque sibi parare amicos
optat Caecilius fideliores,
hos solo probat aestimatque censu,
nec quemquam colit ut suum libenter
virtus unica quem facit beatum,
sed cujus titulo superbiores
triplex linea vix notare possit :
hunc suum vocat, hunc colit libenter,
sic servitur, avare, non amatur.

## IN POSTHUMUM.

E_57 Saepe quidem verbo solvis, re, Posthume, numquam.
Quod toties solvis, jam rogo, solve semel.

## IN BERGEDUM.

E_58 Audes (o facinus) censoris sumere normam,
et semper maesti verba sonare senis.
Audes, o mores, o tempora dicere, quum sis
Socraticos inter gloria prima canes.
Sic tamen, o demens, sic inquam, Bergede, ploras,
quale rudit vector, pande Silene, tuus,
quale gemunt calami crasso tractate bubulco,
quale gemit viridi fulta quadriga rota.
Denique sic ploras, ut qui tua carmina ridens
non legat, inventus sit, puto, nullus adhuc.

## AD IANUM.

E_59 Aureolos Paulo vicenos, Jane, dedisti :
credita nam qui non reppetit, ille dedit.

Sed quamvis dederis, quamvis nil inde reposcas,
aureolos reddet bis tibi, Jane, decem.
At quando ? Dices, Graecorum nempe Calendis,
quum dederis nummos, credere verba potes.

IN DAEDALUM.

E_60 Seu te seria, seu joci morantur,
seu lites medio foro tueris,
seu vicos teris otiosus urbis,
seu potes, recitesve, rideasve,
cuncta accepta tuo refers parenti ;
Quid si, Daedale, posthumus fuisses ?

DE FRANCISCO VALESIO GALLIARUM REGE.

E_61 Quod, Francisce, tibi jamdudum spondet Olympus,
id sors obtulerat nuper amica tibi.
Scilicet ut posset victorem agnoscere Francum,
excusso alterius terra beata jugo.
Tu tamen haec, (quamvis et magna et certa) tuorum
Non es dilecto sanguine pastus emi.
Ergo quod illaesos, o Rex, servaveris hostes,
nemo metum credat, sed pietatis opus.
Pugnabas etenim nolens pugnare, tuique,
tunc quum hostem nolles vincere, victor eras.

IN ZOILUM

E_62 Brevem, Zoile, dicis hunc libellum :
o si possit idem omnibus videri !

AD AMICOS.

E_63 Hunc quamquam illepidum, et malum libellum,
vos o perlepidi mei Sodales,
quaeso sumite blandiore vultu,
deinde perlegite usque ad umbilicum.
Nam vos id rogat ille Beza vester,
cujus vos animamque, corculumque,
idque me hercule jure possidetis.
Sed sic perlegite, o boni Sodales,
ut nec falsa aliqua eruditionis
nostrae opinio, nec mei tuendi
cura nominis ulla vos moretur.
Figatis potius vel hinc, vel illinc,
stellulisque, obelisque, virgulisque,
cultu splendidus ut decentiore
testetur titulo tenus parentem.
Id vero mala turba Zoilorum
damnabit, fateor, nihilque dicet
hic, praeter titulum, meum videri ;

sed clamet licet usque, et usque, et usque,
sit totus volo vester hic libellus,
quum vester quoque sit Poeta totus.

IN PHILENEM.

E_64 Parvus ille deus minutulusque,
cui vates tribuunt et arcum et alas,
nuper Gallica permeabat arva,
illam quum subito aspicit Philenem,
illam tam tetricam et malam Philenem,
quae nostras toties precationes
contempsit rigido superba vultu,
quae Cupidinis et faces, et arcum
sprevit hactenus, et sibi negoti
cum Cupidine nil fore asserebat ;
atque perfidiae suae invocabat
testem Castora, fratre cum gemello.
Sed postquam ille deus Cupido parvus,
e gravi pharetra unicam sagittam
deprompsit, subito suam Philene
mutavit tetricam severitatem.
O potens Amor, o levis Philene !

IN POARDUM.

E_65 Illam Dorida, bellum illud ac amabile
scortillum, et totius lupanaris decus,
illam Dorida Poardus ille deperit,
senex, vietus, edentulus, calvus, putris.
Hinc urbis omnes visit angulos miser,
uno Poardus nec potest stare in loco.
Rem scilicet curat Poardus publicam.

AD CANDIDAM.

E_66 Es quoties vicina mihi, tunc aestuo totus,
   ut cum sulphureis ignibus Aetna fremit.
A te discessi quoties, tunc frigeo totus,
   ut quum Caucaseus sub nive anhelat apex.
Ergo fas alium te, Candida, dicere solem,
   utpote quae facias aestum, hiememque mihi.

DE EADEM.

E_67 Nuper Candidulam meam salutans,
"Salve, inquam, mea mens, mei et lepores,
corculumque meum." Illa tunc disertam,
cum sese cuperet mihi probare,
"Salve, inquit, mea mentula." O disertam
et docto bene feminam cerebro !
Nam si dicere corculum solemus,

cur non dicere mentulam licebit ?

### DE EADEM.

E_68
Dicite cur arcum, vates, tribuistis Amori,
exiguus non est aptus ad arma puer.
Nempe supercilii nobis sic forma notata est,
saepe quod hinc primus concilietur amor.
Ergo mirari nunc desino, Candida, cur te
depeream, sensi tela supercilii.
Dii facite ut postquam laesit nil tale merentem,
tandem etiam telum sentiat esse mihi.

### AD CLORIDEM,
### QUUM FALSO NUNTIATUM ESSET, MACUTUM POMPONIUM IN ALPIBUS OCCUBUISSE.

E_69
Amabo Chloris. O Chloris Macuto
sic dilecta meo. Velut Catullo
quondam Lesbia, sic Macuto amata,
Nasoni veluti fuit Corinna,
si demas animum parum pudicum.
Amabo Chloris, o Chloris Macuti
magnae deliciae, attamen pudicae.
Jube ad te veniam ipse lacrimatum,
adferam tibi quicquid undiquaque
latet tristitiae, atque taediorum,
maerorisque, molestiaeque, curae,
aegritudinis, infacetiarum.
Nam noster periit Macutus ille,
amatus pariter mihi, tibique.
Fleatur pariter mihi, tibique.
Fleamus Chloris, o Chloris fleamus,
tam dure graviterque, ut et nepotum
audire has lacrimas queant nepotes ;
tam largumque oculis pluamus imbrem,
ut communibus obruamus undis
Alpes, Italiamque ter scelestam,
quae meum mihi sustulit Macutum,
et tuum tibi sustulit Macutum.

### AD FIBULAM CANDIDAE.

E_70
Quaeso fibulula illa, fibula illa,
quae pectus dominae meae coerces,
quae sinum niveum, measque flammas,
illos quae globulos duos rubentes
intra caeca jubes manere claustra,
quaeso fibula, ne mihi misello,
istis ne miseris meis ocellis
thesaurum hunc niveum invidere pergis.
Nam quid commeruisse, quid patrasse
pectus hoc niveum, sinusque candens
dignum carcere, vinculisque possit ?

Non cernis, rogo, non vides, ut illae
mammae, isti globuli duo laborent
luctantes avide, suoque pulsu
testentur, sibi non placere claustra ?
Non times, rogo, fibula, ista ne nix
liquatur, nimio calore cocta ?
Pergis, fibula ? Pergis innocentes
intra vincula continere mammas ?
Meas divitias, opes, talenta
non vis reddere, fibula ? At jubebit
hoc tandem Venus ipsa : quippe et illam
ausa es, pessima, vulnerare nuper,
quum Martem cuperet suaviari.
Haec illa est Cytherea, quae jubebit
thesaurum hunc oculis meis patere,
thesaurum hunc manibus meis patere,
quem nunc invidia premente, celas.
Tunc tu, fibulula illa, fibula illa,
quae pectus Dominae meae negabas,
ipsis sordida sordibus tegeris.

AD CANDIDAM.

E_71

Ergo desinitis micare ocelli ?
Ergo desinitis tumere mammae ?
Ista quis vetuit rubere labra ?
Quis istas vetuit genas rubere ?
Ubi illae faculae duae micantes ?
Ille ubi tumor est papillularum ?
Ubi purpura, quae genis sedebat ?
Illa ubi rosa, quae labris nitebat ?
Febris pessima, sanguifuga febris
tibi haec, Candida, sustulit, mihique ;
sic ut, candida quae prius fuisti,
jure pallida debeas vocari.
At vos, o Medici, quibus tuendos
nos dat Juppiter, otiosus ut sit,
ferte pharmaca, quotquot undiquaque
mos est transvehere ultimis ab oris ;
ferte pixidas omnium universas,
ferte emplastica, ferte potiones,
clysteresque, bolosque cum trochiscis,
butyrumque, oleumque, mella, fungos,
gummi, lac, adipesque, cassiamque ;
nec desit crocus, et fragrans amomum ;
adsint tura, rosaeque, cinnamomumque,
adsit denique quicquid aut colorem
amissum dabit, aut dabit cruorem.
Quod si quaeritis istius laboris
vobis praemia quae futura, dicam :
primum haec gloria, lausque magna vobis
erit pharmaca dum admovetis uni,
conservasse duos, medendo et uni,
vitam restituisse sic duobus.
Mille praeterea dabo phaleucos,

dabo mille elegosque iambicosque,
ut vos, qui miseros duos amantes
mortis eripuistis e barathro,
vivatis pariter labore amantum.
Rubris basia Candidae a labellis,
genis basia Candidae a rubellis,
ferent singula singuli, ut ruboris
arte vestra operaque restituti,
ipsi commoda prima sentiatis.
Vos primi tumidis manus papillis
admovebitis, hujus ut tumoris
arte vestra, operaque restituti,
ipsi commoda prima sentiatis.
Quod si forte oculis frui velitis,
permitto id quoque. Sed cavete, quaeso,
ne vos flammea lumina ista fallant ;
namque in his habitant Venusque, Amorque,
et tela hinc jaciunt Venusque, Amorque.
Nonne praemia digna, digna merces ?
Ergo, Candida, nunc relinque luctus,
et missas face lacrimationes.
Namque haec omnia, quae perisse credis,
certe non periere, sed peregre
profecta, incipient brevi reverti.
Certe restitui cito videbis
labellis, oculis, genis, papillis,
rosas, lumina, purpuram, tumorem.

## IN LIGURINUM.

E_72
Aedilis ille, Ligurine, qui tua
repertus a te nudus est cum conjuge,
nil hercle fecit praeter officium suum,
qui evincere a te rem voluerit publicam.

## AD PEDEM CANDIDAE.

E_73
O pes, quem geminae premunt columnae,
illae inquam geminae premunt columnae,
quarum ex arbitrio quiescit illa,
quarum ex arbitrio movetur illa,
illa Candida, cujus intra ocellos,
illa Candida, cujus in papillis
omnes deliciae latent Bezaei.
O pes candide Candidae, o tenelle
mi pes, dic mihique, o tenelle mi pes,
qui meam mihi Candidam adferebas,
cur meam mihi Candidam abstulisti ?
At saltem decuit profectionem
nuntiare mihi, ut vel experirer
an possem precibus fugam morari,
vel tibi comes esset hic meus pes.
O fur pessime, quid tibi imprecabor ?
An nodosa tibi ut podagra cunctos

vexet articulos ? An ut molestus
sic scrupus premat, ut libido numquam
ulla te capiat profectionis ?
At dolere nequis, sceleste, solus :
nullos ergo tibi imprecor dolores.
Non peto quadruplum (licet teneri
ut fur, hac merito actione possis)
hoc unum peto, quod mihi abstulisti.
Redde me mihi, quaeso, redde, mi pes.
Mi pes, redde mihi meos amores.
Emam mille tibi, hercle, margaritas,
smaragdos totidem, ut superbus istis
eas divitiis ; dabo phaleucos
qui te in astra ferant, ubi sublimis
inter sidereos micabis ignes.
Sin minus (nec enim genus relictum
vindictae est aliud) tibi nec unum
pedem, o pes, dederint meae Camenae.

AD QUANDAM.

E_74 Qualis pruna sinus contingit saepe gemella,
qualis Apellaea linea ducta manu,
tale tibi quiddam laevem discriminat alvum,
tale tibi quiddam jungit utrumque femur.
Immo, fallor ego ; nam nulla hic linea prorsus,
inque utero pars est nulla pudenda tuo.
Aurea quaenam igitur descendunt parte fluenta ?
Languidulus quanam parte quiescit amor ?
Haereo, siqua tamen tibi rimula, rimula siqua est
rimula (dispeream) ni monogramma tua est.

IN GELLIAM.

E_75 Moechos dicere quos solemus, illos
mavult Gellia filios vocare ;
nec id judicio meo imperite,
nam si dicere filios fuerunt
matres, quos aliquot tulere menses,
quos decem minimum tulit per annos,
quidni Gellia filios vocabit ?

AD CANDIDAM.

E_76 Quum nos Candida mutuis favillis,
communique velut calore cocti,
vitam una peragamus innocentem,
ut cum turture turturilla casto ;
qui sit innocuos ut hos amores
tot doli exagitent calumniarum ?
Haec est scilicet omnibus statuta
lex mortalibus, ut perenne nil sit
quod gratum ; et vicibus suis recurrant

voluptasque, dolorque, pax, et ira.
Ergo haec, Candida, fortiter feramus,
nos, inquam, quibus haec statuta lex est.
Ille autem Deus, ille qui favillas
nostro in pectore primus excitavit,
nec perire potest, nec hos fovere
ullo tempore desinet calores.
Premetur, scio, flamma nostra. Quid tum ?
Tanto fervidior futurus ignis.

## IN AULAM.

E_77 Quid saevum damnare Jovem, magnaeque Dianae
numina tot precibus sollicitare juvat ?
Scilicet incusas sterilis commercia lecti,
et tumidi velles cernere ventris onus.
Erras si sterilem te credis : quippe tulisse
ut pueros nequeas, at potes, Aula, viros.

## AD CANDIDAM EX ICTERO CONVALESCENTEM.

E_78 Vidit te nuper Venus, o mea Candida, vidit,
inviditque tibi mox inimica Venus.
Et se quaesta Deam mortali a corpore vinci,
binas vicisset quae tamen una deas,
crudelis tandem nati crudelia poscit
tela. Negat matri tela rogatus Amor ?
Arma parat, cornu stridens volat acta sagitta,
nec tamen haec jussum missa cucurrit iter.
Nam simul ac frontis divinum aspexit honorem
cuspis, in obliquum coepit abire latus
ergo servata es, sed non tamen unica, quippe
est jaculatori sic quoque parta salus :
quem simul ac vultu spectasses laesa minaci,
aut nimis, aut esses acriter ulta satis.

## AD GILLIUM.

E_79 Hoc te nomine praedicas beatum,
Gilli, quod facili fruare amica
et benigna adeo, ut rogata nondum,
mox supina cadat, pedesque tollat ;
sed erras nimium, miselle Gilli,
nam quae nil penitus negare nescit,
opus, non homines, amat puella ;
et quaecumque nimis cadit libenter,
surgit ista nimis quoque illibenter.

## AD CANDIDAM.

E_80 Formosas videam quum, Candida, saepe puellas,
saepe mea est, fateor, sollicitata Venus.

Sed tua, vel peream, castum me reddit imago,
et quantus cupiam, Candida, nolo tamen.

AD EANDEM.

E_81 Quum te nunc dicat populosa Lutetia civem,
inter me numeres Hedua terra tuos.
Quum nos tam longum disjunxerit intervallum
(o Martis semper damna timenda feri ! )
Quaeris an absentem te, Candida, saepe requiram.
Non ego te quaero, Candida, sed video.
Ipse licet terris involvat Juppiter astra,
absit ut umquam absit, Candida, quisquis amat.

AD EANDEM.

E_82 Attonitos inter populos quum Caesaris esset
absentis praesens nuper ubique metus,
Saturnique sequens propius vestigia Mavors,
iras in toto promeret orbe suas ;
concordes soli, mea Candida, viximus ambo,
nec fuit hic ulla lite diremptus amor.
Fallor, an idcirco Martis tibi saeva pepercit
ira, quod es Marti, Candida, visa Venus ?

AD EANDEM.

E_83 Esse quid hoc dicam, quoties sum, Candida, tecum,
cur faveat pigro nullus Apollo mihi ?
Discessi quoties, calcam tunc pectore toto,
et numeris currant, singula verba suis.
Nimirum totos exposcis, Phoebe, poetas,
sed totum praesens me mea flamma tenet.

AD SEQUANAM, DE EADEM CANDIDA.

E_84 Ecce iterum navem praegnans conscendit amica.
Et dominam, et dominae, Sequana, perfer onus ;
perfer, ut incolumes ambo sua litora tangant,
sive utero lateat femina, sive puer.
Sic et Yona tibi, et concedat Matrona nomen,
et victis Isarae sic dominere vadis.
Fallor. An in dominam video saevire procellas ?
O res plena malae suspicionis amor !
Mergas, si libeat, nostras, o Sequana, flammas.
Mersa tamen mediis flamma resurget aquis.

AD EANDEM CANDIDAM.

E_85 Ex quo disjuncti, mea Candida, viximus ambo,
nec tua luminibus sidera visa meis,

hora diem, mensemque dies, animumque moratus
mensis, jam canos paene dedere mihi.
At simulac nobis iterum reddemur uterque,
teque mea potiar, meque fruere tuo ;
hora die, Lunaque dies numerabitur una,
quique aliis annus, vix mihi mensis erit.
Sic tempus praerepta mihi mea tempora reddat,
haec eadem ut reddam, Candida cara, tibi.

## IN ANDRAEAM TIRAQUELLUM, SENATOREM PARHISIUM, ALTERUM NOSTRI SAECLI VARRONEM.

E_86
Est tibi natorum quae computat agmina conjux,
est tibi quae natos bibliotheca parit.
Fortunate senex ! Te nulla oblivio mortis,
te numquam totum tollet avara dies,
namque alia ex illis mox est ventura propago,
ex his est pridem gloria nata tibi.
Vae vero pereant illi, illorumque nepotes,
haec tamen incolumis cum patre neptis erit.

## IN SPURINNAM.

E_87
Tollendae cupidus Spurinna prolis,
altae dum superat jugum Pyrenes,
divo porrigat ut preces Jacobo,
inde Alpes quoque praeterit nivosas,
Petri ut limina visat atque Pauli ;
et mox Hadriacum in sinum reflexus
divae offert sua vota Lauretanae.
Inde per medii maris pericla
sacram perveniens ad usque Idumen,
sacratum Domini petit sepulcrum.
Nec contentus adhuc, latrocinantum
arenas Arabum siticulosas
gibbo permeat insidens cameli,
sublimem properans ad usque Sinam,
et divae juga sacra Catharinae.
Quid profecerit hoc labore quaeris ?
Tres natos reperit domum reversus

## CALLARTIO JURISCONS.

E_88
En senos tibi mitto pippiones,
ruris munera rusticana nostri ;
nostri non penitus tamen , sed olim
futuri, nisi forte me fefellit
patronus, mea jura qui tuetur,
jura tanta quidem, ut nec his ferendis.
Terga sufficiant onusta muli :
hos ergo tibi mitto pippiones,
obtestorque simul deos deasque,
ut senis tibi messibus peractis

fas sit ex lepida tua puella,
tot natos numerare vagientes,
quot fetus tibi mitto pippientes.

## IN BASIUM CANDIDAE.

E_89
Vos teneri rores, calathos quibus aurea gaudet
Venus rosarum aspergere,
te cannis incluse liquor, qui dulcia condis,
mensis secundis fercula,
et vos deliciae patrum, caelestia mella,
testes apum solertiae.
Vos ego, vel vobis quicquam si dulcius usquam est,
et suxi, et hausi, et imbibi,
hesterna felix nuper quum nocte putarem
me basiare Candidam.
Vos etenim pariter spretis cannisque, rosisque,
et alvearium favis,
intra verna meae constat sedisse labella
tenellulae puellulae.
Hei mihi ! quis nobis hos somnos interrupit ?
Quis gaudii tantum abstulit ?
Ah Venus, haec postquam prohibes me carpere vera,
at somniare me sinas.

## THEODORUS BEZA, DE SUA IN CANDIDAM ET AUDEBERTUM BENEVOLENTIA.

E_90
Abest Candida, Beza, quid moraris ?
Audebertus abest, quid hic moraris ?
Tenent Parhisii tuos amores,
habent Aurelii tuos lepores,
et tu Vezeliis macere pergis,
procul Candidulaque, amoribusque,
et leporibus, Audebertuloque ?
Immo Vezelii procul valete,
et vale pater, et valete fratres ;
namque Vezeliis carere possum,
et carere parente, et his, et illis,
at non Candidula, Audebertuloque.
Sed utrum, rogo, praeferam duorum ?
Utrum invisere me decet priorem ?
An quemquam tibi, Candida, anteponam ?
An quemquam anteferam tibi, Audeberte ?
Quid si me in geminas secem ipse partes,
harum ut altera Candidam revisat,
currat altera versus Audebertum ?
At est Candida sic avara, novi,
ut totum cupiat tenere Bezam ;
sic Bezae est cupidus sui Audebertus,
Beza ut gestiat integro potiri.
Amplector quoque sic et hunc et illam,
ut totus cupiam videre utrumque,
integrisque frui integer duobus.
Praeferre attamen alterum necesse est.

O duram nimium necessitatem !
Sed postquam tamen alterum necesse est,
priores tibi defero, Audeberte :
quod si Candida forte conqueratur,
quid tum ? Basiolo tacebit imo.

PONTICUS CORNELIO, DE UXORE NON DUCENDA.

E_91 Quum velis uxorem, Corneli, ducere, quaero
conjugium placeat qua ratione tibi.
Scilicet ut deinceps vivas felicior, atqui
fallor ego, aut non hac lege beatus eris.
Uxor enim aut deformis erit, (tune, obsecro, talis
si tibi sit conjunx juncta, beatus eris ? )
Aut forma mediocris erit. Modus iste, fatemur,
optimus, at subito deperit iste modus.
Aut formosa, ideoque viris obnoxia mille,
et de qua nequeas dicere, tota mea est.
Ut sit casta tamen (nemo si forte rogarit)
mille feret natos, taedia mille feret.
Aut sterilis tecum tardos sic exiget annos,
nullus ut e multis sit sine lite dies.
His addas caput indomitum, mentemque tenacem,
ceteraque a multis quae didicisse potes.
Desine sic igitur vitam sperare beatam,
sit potius caelebs et sine lite torus.
Hic etenim siqua est felicis semita vitae,
femineas juxta non latet illa nates.

CORNELIUS PONTICO, DE UXORE DUCENDA.

E_92 Uxorem cupiam quum ducere, Pontice, quaeris
conjugium placeat qua ratione mihi.
Deformem nolo, formosam exopto : placebit,
si nequeo pulchram, quae mediocris erit.
Formosam, dices, alii mox mille rogabunt,
at nulli, quamvis saepe rogata, dabit.
Forma perit subito mediocris : id ille queratur,
qui praeter formam nil muliebre probat.
Si dederit natos, natos spectare juvabit ;
si sterilis, quid tum ? Sarcina nostra levis.
Cetera, quae narras, certe sunt magna, fatemur,
est animusque tenax, indomitumque caput.
Sed sua sunt cunctis connata incommoda rebus,
ipsa etiam damnis commoda plena vides.
Et me miraris vitam sperare beatam,
si mihi sit deinceps femina facta comes ?
Semita virtutis stricta est, si vera loquuntur.
Haec quoque quam quaero, Pontice, stricta via est.

DE PHILLIDE ET DAMONE.

E_93 Bis senas hiemes accensus Phillide Damon,

pertuleratque faces, pertuleratque gelu.
Quam tamen ut vidit crudeli funere raptam,
attonitus fertur conticuisse diu ;
et tandem lingua singultibus interrupta,
dixisse haec multis paucula cum lacrimis :
"Felix Damon eras, hac si tibi fata dedissent
vivere vel viva, vel moriente mori."
Dixit, semianimisque cadens perfecit, ut ambo
corpora sint uno paene cremata rogo.

IN ITALIAM.

E_94 Cur Italas urbes Phoebus torrentior urat,
si quaeras fieri qua ratione putem.
Nec, vicina magis quia Phoebi semita, dicam,
dicere nec mendax quae solet astrologus.
Verum aliud dicam, quod si vis teste probari,
hoc tibi vel gemino teste probare licet.
Nulla magis tellus pulchris fecunda puellis,
Italia, nulla est terra beata magis.
Hi sunt nimirum, quos Phoebus dum videt, ignes,
credibile est ignes multiplicare suos.

DE COMA CANDIDAE, AD ZEPHYRUM.

E_95 Aura nec nimio aestuans calore,
aura nec nimio rigore frigens,
sed verno comes ire sueta Phoebo.
Aura frigidula, aura mollicella,
quae sic lacteolae meae puellae
crines aureolosque, crispulosque
audax exagitasque, ventilasque.
Ecquid, obsecro, dum per universum
laeta perstrepis et vagaris orbem,
cernis candidula mea puella
tenellum mage delicatulumque ?
Sed quaeso, mihi dic et istud : aura,
dum tu sic temere hanc comam pererras,
cincinnique agis hinc, et inde nodos,
non times, rogo, ne vel hinc vel illinc
veloci miser impliceris ala ?
Nam qui tam tenues tibi capilli,
quae molles adeo comae videntur,
non sunt, crede mihi, comae aut capilli,
sunt plagae potius, quibus scelestus
irretit miseros Cupido amantes,
ut tela tenui sagax Arachne
incautas solet occupare muscas.
Sic me sic miserum Cupido cepit,
sic tu, ni caveas, peribis Aura ;
sed quam suaviter, o dii, peribis !

IN QUENDAM, AD POSTHUMUM.

E_96 Cincinnatulus ille, cui undulati
propexique humeros gravant capilli,
qui tersa cute, blaesulaque voce,
qui paetis oculis, graduque molli,
et pictis simulat labris puellam,
heri, Posthume, nuptias parabat,
quum nequissimus omnium sacerdos,
urbanus tamen et facetus hercle,
utra sponsus erat, rogare coepit.

COMPARATIO AMANTIS CUM VENATORE.

E_97 Dum leporem nuper nemorosa per avia sector,
antiquae in mentem mi rediere faces.
Nec mirum, studio quum delectentur eodem,
cui Dictynna placet, cui Cytheraea place
ille etenim leporem sectatur, et iste leporem,
res fugitiva lepus, res fugitiva lepos.
Venator casses, et casses tendit amator,
quos saepe incassum tendit uterque tamen.
Ex aequo pluvias et ventos spernit uterque,
damnosos nutrit stultus uterque canes.
Attamen hoc distant, quod quum fera sternitur, alter
praemia solliciti justa laboris habet.
Tum demum vero infelix superatur amator,
quum similis victae praeda supina jacet.

IN NUPTIAS IANI GARNERI, ET MARGARETAE URANIAE.

E_98 Redde tu mihi, Margareta, redde,
redde, inquam, mihi, tu puella, Janum,
Janum quem violenta surpuisti.
At istis male sit genis rubellis,
et istis quoque blandulis ocellis,
et vobis quoque vesculae papillae,
et vobis quoque crispuli capilli,
meum quae mihi amiculum abstulistis.
Margaretula, tene ? Tene deinceps
Janus delicias suas vocabit,
et hunc delicias tuas vocabis ?
Totus ergo tibi, puella, Janus,
deinceps et vigilabit et quiescet ?
Et si quando fores adibo Jani,
non confestim aderit velut solebat,
sed prodibit anus scelesta tandem,
herum quae procul hinc abesse juret,
intus quum foveat suos amores ?
At Janum interea foris requiret
frustra tota cohors amiculorum,
quum Janus tamen aut labella bella
miretur simul et Suavietur,
aut tractet lepidae salax puellae
audaci teretes manu papillas,

et quantum quoque distet haec ab illa
forsan discere curiosus optet.
At Jani interea ad fores sedebit
frustra tota cohors amiculorum,
quum fruare tuo, puella, Jano,
et tamquam jocus hic sit insuavis,
lucteris simul, et Suavieris,
mineris simul, atque blandiaris,
donec deposito furore tandem,
Janum suxeris, o puella nequam,
audacemque tamen tuum esse Janum
voce deficiente conqueraris.
At saltem, improba Margareta, foedus
hac tecum liceat ferire lege,
Janum fas tibi sit, puella, toto
possidere die : frui in tenebris
mi saltem liceat, puella, Jano.
Fallor, an tibi plus placent tenebrae ?
Immo vis pariter diem atque noctem ?
Et dat ille tibi diem atque noctem ?
Nocte sit tuus ergo, sitque luce,
dum, Jani unius in locum, quotannis
des nobis alios, puella, Janos.